

RECONDITA  
NATURÆ OPERA

Iam Detecta

*Discursus Astrosophicus*

V B I

Circa quatuor Causas ob-  
servati Cometæ de mense  
Decembris transacti  
Anni 1664.



Astronomicophysicè edisseritur  
AVCTORE

LVCA TOZZI

Medico Physico varia-  
rum Scientiarum  
amantissimo.



NEAPOLI, Typis Hyacinthi Passeri,

*Superiorum Permissu*



PERILLVSTRI,  
Et Reuerendis. Domino  
FRANCISCO ANTONIO  
CVRTIO.

V. I. D.

Prothonotario Apostolico,  
Canonico Cardinali Dia-  
cono, ac Pœnitentiario  
Metropolitanae Ecclesiae  
Neapolitanae, Abbati Di-  
uae Mariae ad Platheam  
eiusdem Ciuitatis, Curiae-  
que Archiepiscopalis, &  
Tribunalis Sancti Officij  
Consultori, ac Commissa-  
rio integerrimo.

**R**VDEM hunc Cometicum  
discursum retroactis die-  
bus inter domesticas sollicitudi-  
nes elucubratum, parum deerat;

quin



sti; Sanctorum Laudes in Augu-  
stissimis Templis pluriès, tum hic,  
tum alibi Panegyrica oratione  
amplissimè, suauissimeque per-  
sonasti; & in Cògregatione Cle-  
ricorum erecta in hoc Collegio  
Societatis Iesu, moralis Theolo-  
giæ Academię Rector factus; tan-  
ta cum laude eam personam  
substinuisti; vt Sodales omnes,  
se neque talem vnquam Aca-  
demiæ Præfectum sperasse dice-  
rent, neque optasse meliorem.  
Inò, quod caput est, cum  
nondum humana contrectares,  
Ecclesiastica munera, Episcopa-  
les gerens vices, Lauelli, Abelle-  
ni, ac Frequenti, tam prudenter,  
cautè, ac sensatè possidere capi-  
sti; vt alterius Salomonis titulo  
adepto, perpetua tuæ laudis  
apud eas gentes extabunt, ac præ-  
clara monumenta virtutis. Quis  
te incorruptior, cum in Archie-  
pisco-

piscopatu Surrentino Vicarij Generalis munus obires? quis in Sacrorum immunitate tuenda firmitior? quis in gratificando humanior? quis deniquè in benè de alijs merendo paratior? Nouit profectò tua merita, nouit Eminentissimus Dominus Cardinalis PHILAMARINVS huiusce Ciuitatis vigilantissimus Antistes; eaque immortalitate, cuius est amans in nomine, dignissimus, qui te adhuc Surrenti degentem, in amplissimum suorum Canoniorum ordinem, ita cooptauit, vt omnium admirationi fuerit, quod tunc primùm beneficia conferebantur inuito: pluribusque eodè tēpore cumulauit oneribus, sanè comendabilibus, cū iam antea Librorum censuræ præfecisset. Quid de eruditissimis penèque Angelicis (vt ita fatear) tuis Concionibus, in maiori hac Ecclesia præ-

terita Quadragesima, summo spiritus feruore, & audientium progressu, habitis? Decanter Syren, dicant Parthenopæi, à quibus inter tot præclarissimos Verbi Dei Præcones, tu, CVRTIO, licet primo laborum curriculo, licet omnium ætate minimus, licet Curialibus deditus curis, & humana spoliatus industria in congreganda populorum frequentia, nec vnus à tuo cognomine literæ immutatione, puro, virgineoque Anagrammate communi plausu, VICTOR acclamatus fuisti. Quid de tuis acutissimis, profundissimisque consultationibus in Iure tam Ciuili, quam Canonico, ea facilitate, claritate, ac promptitudine, quam præ cæteris mihi in verbo veritatis testari licet? adeunt singuli, vel Optimates, veluti ad oraculum Delphicum in rebus magis arduis ad te

con-

confugere videantur, vt responsa  
indè hauriant fermè diuina, pro-  
pmodum infallibilia. Testem  
hïc ab omni mendacij labe in-  
munem do Famam, quæ de te, sa-  
cro non minùs eloquio, quàm Iu-  
risprudencia mirificè, & natura,  
& arte dorato, lógè veriùs, quàm  
de Cæsare, quòd gladio, & cala-  
mo æqua lãce polleret, Elogium  
illud Vniuerso Orbi dictauit, *Ex  
utroque Cæsar*. Memorari tandem  
egregias animi tui dotes oportet,  
quibus suprà cæteros prælucens,  
omnium animos summa tua be-  
nevolentia, magnanimitate, affa-  
bilitateque, vel inuitos, in tui  
amorem allicis, attrahisque. Iu-  
re ergò optimo tanta cum sit tui  
nominis gloria, vt vndèquaque  
tellus ex Famæ præconijs echei-  
zet, meæ inhabilitatis entitas è li-  
mo ignorantia euocata est. Nec  
mirum, quod tanti fueris, vt meã

voce elucidares tenebrositatem,  
ac solo intuitu irrepurgabilem  
depelleres ignauiam, vires & au-  
daciam insufflares, & ex Innomi-  
nato Nominatum fieri stabilires;  
quando singularis tuæ facundiæ,  
eloquentiæ, sapientiæque celsi-  
tudine populos integros repur-  
gare valuisti: Tibi eapropter gra-  
titudinis vinculo opusculum hoc  
dicandum debebatur, à quo vi-  
tam adeptus est, sui que illumi-  
nationem. Reliquum nunc est,  
vt te sereno vultu annuentem, &  
excipientem experiatur: cùmque  
innumeros penè obtretractores,  
quibus hæc nostra scatent tēpora  
huic primo studiorum meorum  
labori, futuros vndiquè prospici-  
ciam, te eximiae virtutis, Virum,  
Sanctissimæ Religionis, ac vene-  
randæ præeminentiae, in sacram  
anchoram, & asylum contra ciuis-  
modi conuicia, appello. Grato  
ita-

itaquè animo, quod tibi iure da-  
tur, excipias, cui ad cōmune be-  
neficiū Nestoreos annos exopto,  
ac condignum meritorum gra-  
dum ominor, vt cupio. Vale.  
Neap. 6. Idus Februarij 1665.

**Amplitudinis Tuæ**

**Deuocissimus Seruus**

*Lucas Tozzi Iatromathematicus*



# AUCTOR

## ADLECTOREM.

**E**N primus inter Philosophantes Astronomos Discursum hunc noui huius Cœlestis Phænomeni, impulsus tamen, ferèque coactus, in publicã lucem emitto, vt satisfacerem solùm tibi sciendi cupiditate commoto, sapientiæ cupido, studiosorumque Amatori: ijs verò, qui alterius scripta perlegunt, vt carpant, vt mordeant, sicuti complacere nequit, nihilq; Sapidum esse potest, cùm mentem habeant deprauatam, palatumque corruptum, ita meas hæc lucubrationes currenti calamo exaratas, leſitandas haud committo: alterutrius autem genij, aut ingenij fias, illud exoratũ expostulo, vt proſperato tempore duo-

duodecim ferè dierum, quibus  
hæc pauca composui, reflectas, in-  
dulgeasque, non sine plurima-  
rum forensium ærumnarum, sol-  
licitudinumque turbulentia, &  
anxietate. Verùm si hæc com-  
pati nolueris, & adhuc carpere  
non destiteris, noli saltem ore tã-  
tum, verbisque blaterare, vt Scio-  
lorum est, sed calamo, & factis  
rem tuam studeas propalare, vt  
videamus mirabilia in terra no-  
stra. Sed quid? sicut hos inter Zoi-  
los, et Aristarchos enumero, sic vti  
stolidos, derideo, ac vti morda-  
ces, & caninos paruipendo. Tu  
interim, Lector beneciole, & stu-  
dioso grato excipe animo, vt per-  
rigo, fruere, & vale. Neapoli ex  
ædibus sexto Idus Februarij an-  
no 1665.

PROE-

# P R O O E M I V M

## INTRODVCTORIVM.

**P**erpetuò commendandam auream illam Origenis sententiam ( *Cælum est sicut Liber omnium futura in se scripta continens* ) quam ab Isaia cap. 34. didicit, *Cõplicabuntur sicut Liber Cæli* ; ac non minori laude celebrandum Magni Alberti pronunciatum *in Speculo*, *Coelum vniuersitatis Librum* appellantis, existimaui, quibus coelestia illa corpora, singula in sublunaribus euentura præsignantia statuuntur, eo autem modo, vt Altissimus, quæ operaturus in Mortalibus fit, præscribere dignetur in Coelis, siuè fausti, siuè infauti ominis illa existât. Quod quidem, si ex sempiternis illis syderibus à primordijs nascentis

Mun-

Mundi præordinauerit pro ordi-  
narijs, quotidianisque effectibus  
prænotandis, certè illud idem pe-  
culiari quodam opificio, cum ex-  
traordinarij portendebantur ad  
commune Hominum releuamen-  
transactis sæculis perenni-  
ter operatus est, vt Historijs innotescit:  
Sic enim inundationes, aridita-  
tes, penurias, fames, cædes, exci-  
dia, bella, terremotus, pestilen-  
tias, & consimilia damna Huma-  
no generi cum essent euentura,  
nuncio Cometa, præsignauit, vt  
apud Auctores passim lectitatur  
talia enim mortalibus infortunia  
Pijssimus Deus ferre nec potuit,  
nec voluit, vt inopinato infi-  
gerentur, sed more miserantis Pa-  
tris dignatus est Signo Cœlis af-  
fixo, vt neminè lateret præosten-  
dere, sicque pessundatis tandem  
Humanis, à sceleribus, quibus  
irretiebantur, resipiscerent, atque  
ad

ad ipsam præuijs precibus auola-  
rent, vt misereretur, ac vindictam  
commotæ iræ suæ remoueret, ve-  
nianque vnâ indulgeret: sed to-  
tum frustrâ peractum est, facti  
enim sunt sicut Equus, & Mulus,  
quibus non est intellectus; qua-  
propter in Camo, & fræno ma-  
xillæ eorum constrictæ sunt, &  
seuissimi effectus, qui in Come-  
tis præsignabantur, consequuti  
sunt. Non dissimili quidem mo-  
do in præsentiarum operari cre-  
dendum est, ex apparso Cometa  
de Mense Decembris elapsi anni  
1664, quo præuio, futura mala  
mortalibus præfagit, vt si quod  
in reliquis cæcutientes, quæ por-  
tendebantur, non conspexerunt,  
in hoc saltem transactis porten-  
tosiori, manifestiùs attendant, &  
intueantur, quæ minitantur breui  
infligenda. Huius proindè non  
immemores, effectus indè resiliē-  
tes

tes precibus ad Deum fufis de-  
lentos totis viribus incumba-  
mus, vt quod in infauflo Cometa  
Altiffimus præmonftrauit, fyde-  
re benigniori in bonum omen,  
pœnitentia duce, declinet, vt eius  
Mifericordiæ infinitæ cōfidimus.  
Interim dùm quisque pro fuo co-  
natu Deū deprecabitur pro abo-  
lendis hifce infortunijs, Nos pro  
noſtra virili huius Cometæ cau-  
fas naturales indagabimus, laeo-  
nica tamen, vt poterimus oratio-  
ne, quoniam etfi Omnipotens in  
fignum iræ Cometas adſcripfe-  
rit, non tamen ij, à phyfica, & na-  
turali productione erunt ſemo-  
uendi, vt ſuo loco dicemus.

**Facultas Ecclesiastica.**

**IMPRIMATUR**

**P. Garbinati Vic. Gen.**

**Can. Matth. Renzi S.T.D.&S.  
Off. Consultor.**

*Vidit Antonius Cappella A.M.D.*

# Facultas Regia

Imprimatur,

Galeota Regens.

Carrillo Reg.

Nauarra Reg.

Ortiz Cortez Reg.

V. I. D. Bartholomeus de  
Luca vidit.



THE

LIBRARY

OF THE

UNIVERSITY OF TORONTO





# PRÆNARRANTVR

Breuiter quedam obseruationes  
HVIVSCE COMETÆ.

Circa illius locum, colorem,  
magnitudinem, motum,  
appendices, & reliqua  
ipsius accidentia.

**O**PERE pretium est, vt antequam ad intimiora hac in re progrediamur, quædã in obseruationibus animaduersa prænotemus, vt ex his laior aditus pateat ad ea, quæ inferius ant edisserenda.

Obseruatus itaque fuit hic Cometa circa initium Decembris elapsi anni 664. quamuis non negauerim alibi, ut prius, aut posterius apparuisse, inter cõstellationem Centauri, & Hyræ, atque præcisè suprâ caput Centauri, sub Asterismo Virginis, quoad ostium Mundi, & Polos Æquatoris

A

re

relatè ad Firmamentum; in signo verò Libræ circà finem, comparatione facta ad longitudinem Eclipticæ, eiusque Polos in partè Hemispherij Australis, cum declinatione, & latitudine Meridionalibus. Qua autem die, quauè hora signanter comparuerit, adhuc mihi incertum est, omniq; facta diligètia, nondum scire potui.

Colorem primò obtinuit argenteum, naturamque visus est Iouiam æmulari, mox post aliquos dies subfuscum, & veluti cineritium adeptus est, Saturniamque conditionem acquisiuit, quam ad finem vsque seruauit.

Magnitudine initio visus est maior Venere, & propemodù æqualis Ioui, quamuis tractu temporis apparenter visus fuerit magnitudine minorari, licet ex deperdito priori lumine, & colore, cum in fuscum, & cineritium declinauerit, decrescere spectatus sit.

Figura rotūdus semper extitit absque vilo crine, aut scintillatione, verùm cum longa radiorum proiectione, initio quidem ad partem Cœli Occi-

3

Occidentalem, mox inter Occidentem, & Septentrionem porrecta ad similitudinem Barbæ, vndè Barbatus appellatus est: deindè circa initium Ianuarij inchoati anni 1665. versus Orientem protensa, vndè ex Barbato Caudatus euasit.

Eo insuper tempore, quo Barbatus apparuit, antè Solem ( relatè namque ad Solè, Barbæ, aut Caudæ nomenclatura variatur ) oriebatur paulò ante octauam noctis horam, italico modo numeratam; deindè sero post Solis occasum illicò circa vñdecimam Cœli domum, & multùm ab Horizonte, eleuatus manifestabatur, Cauda ad Ortum protensa; intermedio autem tempore diuersimodè, varijsque horis, iuxtà motum illius, ortum habuit.

Uteriùs, prima sui manifestatione, nullo ciebatur motu proprio, saltèm sensibili, præterquam ab Oriente ad Occidentem, non secùs ac Stellæ fixæ omnes; distantiam eandem, inuariatamque à Stellis vicinioribus seruauit, ad partem aliquam non deflectèdo; atque hoc modo ad diem circi-

A 2 ter

ter 25. Decembris, cum adhuc Barbatus existeret, perseverauit: postmodum eius Barba altius, & versus partem Cœli sublimiorem eleuata, decrescere paulatim visa fuit, qua tandem in totum occultata, Cometa omni radiorum protensione denudatus apparuit, sicque permansit usque ad diem tertium ferè currentis mensis Ianuarij 1665. Hoc autem tempore intermedio, quo Barba caruit, ita motu agitatus est velocissimo, at irregulari, & anomalo, & quod mirum, contra signorum successionem, ut per paucos dies delatus sit per signa Libræ, Virginis, Leonis, Cancrî, & Geminorum, ad Taurum usquè, & inde sensim ad ultimos gradus Arietis, motu minorato secundum longitudinem, cum hoc insuper motu longitudinali semper, & semper successiuè in latitudine motus est; licet circa finem sensibilius, cum ex Asterismis prædictis, alioqui latitudine, & declinatione valdè disitis, ab Ecliptica, & Æquatore, tandem ad cõstellationem Cæti circa caput, & mandibulam peruenerit, & sub æqui-

no-

noctiali ferè perstiterit, die nempe quinto præfati mensis; quo ex loco secundum longitudinem non immutato, & paulatim in latitudine ad partem Borealem ab æquinoctiali deuersus est per gradus circiter 2. suprâ Cæti mandibulam; vndè declinationem inmutauit ex Australi in Borealem, retenta similiter Cauda ad Orientem versa, licet plurimum decurtata, & fusca, quam ex supradicta die tertia Ianuarij recuperauit, & ad extremum sui conseruauit. Constat proinde Cometam, quo tempore Caudatus, aut Barbatus visus est, localem motum proprium saltèm sensibilem non habuisse; tempore verò quo Barba, radiorumque proiectione fuit orbatus, motu, eoque velocissimo contra signorum ordinem agitatum esse, & tandem circa caput, & Cæti mandibulam perstitisse, imminuta latitudine Australi, variataque declinatione, quam Boreale adeptus est, vt mox enarratum fuit. Quo postremò in loco sequentibus diebus magis obscurari visus est, lumineque diminui; &



demùm circa diem 26. præfati mensis Ianuarij ab obseruantium oculis euanuit. Quo autem in Orbe extiterit, infra.

Barbæ, & Caudæ longitudo varia fuit, nam initio plurimùm elongata ad longitudinem ferè graduum 14. vel 15. extendebatur: successu dein temporis decurtata ad 12. ad 10. & deinceps visa est, quemadmodum & Cauda, sicque variationem in situ, quantitate, & lumine passa est, vt supra diximus; Et hæc circa obseruationes, quæ fieri potuerunt tempore appariti Cometæ cum plures dies nubili, & pluuiosi, plerique glaciales, multi ventosi, omnesque rigidi ex intenso frigore, quod supradictis diebus passi sumus, extiterint, quorum causa seriatim obseruari, fuit impossibile; erat enim in animo per singulas noctes, obseruationes exarare, adnotatis insuper Cometæ ortu, ortiua amplitudine, Cœli mediatione, motu diurno, declinatione, latitudine, ascensione, & reliquis singillatim, prout oportebat de die in diem; sed ob assignatas

tas

tas rationes, obseruationumque interruptiones, cum non potuerint haberi, fas fuit omittere, eoque magis quia parum ad propositum nostrum faciebant, pro quo satis est hæc attulisse, ex quibus ritè, rectèq; philosophari potest. Verum quicumque illa scire exoptauerit, prout possibile fuit, nouerit huic desiderio satisfacturum peritissimum, atque consumatissimū in rebus Astronomicis Virum, qui eiusdem Cometæ diligentissimus obseruator, breui has obseruationes palàm faciet. Vt autè Astronomicè circa hanc materiam edisseramus, his prænotatis, sit.

## Quæ huius Cometæ causa Materialis, & Formalis.

**P**hysica qualibet in productione, quatuor causarum genera semper concurrere debent, Materialis nimirum, Formalis, Efficientis, & Finalis, cumque ex his quatuor, duæ priores causæ intrinsecæ adstruantur; quæ

in compositi cuiuslibet productione, sui positione ipsum constituunt, reliquæ verò posteriores, tantum extrinsecæ, idcirco conuenienti ordine procedentes exordium sumimus à causa materiali. Circa quam.

Mirum sanè est, quantum prisca delirarint tempora, Cometas, animas, & mentes Heroum, seu Semideorum existimantia, quemadmodum Astra perpetua, Deos ipsos, Iouem, Martè, & cæteros, hinc Augustus, vt refert *Sueton. in eius vita*, confirmatque *Bodinus lib. 2. Theatr.* tempore suo exortum Cometam, Iulium Cæsarem esse putauit. Similem in errorem inciderunt Manichæi, quos redarguit *D. Augustin. in Ioannem tract. 35.* opinantes Christum Dominum esse Solem istum visibilem, & corporalem. At relictis vanis hisce, ac commentitijs de Cometarum natura opinionibus, quas singulas hic examinare longum nimis foret, eas dumtaxat in medium afferemus, quæ magis ad rem naturalem facere videbuntur.

Nectamen erit nobis in præsentidif-

disceptandum cum Pythagoricis, qui Cometas putarunt errantes Stellas esse, non secus, ac Planetas, in primordijs naturæ productas, fieri tamē vsibiles cū elongātur à Sole, cuius radijs antea occultati conspici nō poterant, vide *Plin. lib. 2. hist. natural. cap. 25.* Nec minùs contrā Democritum, & Anaxagoram credētes, Cometas fieri ex aggregatione plurium stellarum errantium, quam Symphysim Græci dicunt, vt ait *Arist. lib. 1. Meteor. Sum: 2. cap. 3.* Neque insuper cum *Seneca lib. 7. quæst. natural.* asserente, nec vnā ex fixis, nec aliquam ex Planetis, sed Stellam aliam vagam ab illis diuersā: eiusmodi enim figmenta satis superq; apud Auctores integris voluminibus explosa reperiuntur, & præsertim ab *Antonio Gatto in suo tract. de Cometis p. 1.* ferè per totam argumentis sanè irrefragabilibus, quæ hic repetere superuacaneum puto: sed solummodò contrā Peripateticos, & quàmplurimos recentiores, quorum primi sublunares Cometas omnes adstruentes, ex fuliginibus terreis productos illos

A 5 ex

exclamant; alij verò quamuis cœlestes, & supralunares illos admittant, in varia tamen incidunt absurda pro eorum materia explicanda. Has ergò singillatim opiniones enarrabimus, & ea, qua poterimus breuitate maiori confutabimus.


Peripatetici itaque, qui Aristoteli pertinaciter addicti in illius verba iurarunt, cum ex ipso *Meteor. 2. cap. 8.* acceperint, Cometas inter meteorologicas impressiones numerari, & in tertia aeris regione, vel in sphaera ignis, vt aiunt, accendi, ac permanere, eos proinde putant ex crassis, viscidisque exhalationibus è terra eleuatis constare, ac quousque illè durat accensa, perdurare. At aduersus hanc sententiam, quamuis multi multa argumententur, illud mihi præ omnibus videtur adduci posse; quod Cometae plurimi supra Lunam sint obseruati, argumento desumpto ex parallaxi, adeò vt ex distatissimis Mundi partibus, ijsquo diuersis eandem distantiam obtinere cum fixis vicinioribus, eundemque locum, motum,

ma-

magnitudinem, & alia singula retinere conspecti sint; quod sanè signum evidens est in regione ætherea, & supra Lunam eos extitisse. Sic Cometa anni 1618. supra Lunam, & Solè fuit constitutus; item Cometa anni 1577. observatus à Tycho, & Cometa anni 1653. adhuc in regione ætherea fuerunt observari, præter alios plurimos, inter quos præcipuus est, de quo sermonè habemus, qui nemine contradicente supra Lunam collocatur: Si ergò Cometæ plurimi supra Lunã, & in regione cælesti situantur, quemadmodum & hic, atque aliundè Aristoteles, eiusque asseclæ infra Lunam, & in regione elementari illos admittunt, non poterant ea propter iuxta ipsorum sententiam, componi, tanquam ex materia, terreis halitibus inibi accensis, aut illustratis, qui per eos ad cælestem regionem ascendere non valent, præsertim cum ab ijs statuatur Cœli solidi, & imperuij; in tantum enim Peripatetici ex fuliginibus Cometæ generatos affirmant, quoniam sub Luna, & in regione ele-

mentari consistunt, secùs variata loci suppositione.

Quod autem Cometa hic fuerit in regione cœlesti; & suprâ Lunam, demonstratur clarissimè ex parallaxi, quam insensibilem passum esse ab observatoribus vnanimiter admittitur, & Lunæ minorem. Hoc idem insuper comprobant obseruationes habitæ ex pluribus terræ partibus, Roma videlicet, Parma, Messana, Venetijs, & Neapoli, locis alioqui distitis, nam cæteroqui si sub Luna, & in regione elementari permansisset, videri minimè potuisset ex locis tam inter se distantibus. Et tandem si sub Luna cõstitisset, nequiuisset videri per totum illud temporis spatium, quo cæteræ Stellæ fixæ motu primi mobilis circumcursantes apparuerunt, sed paucis dumtaxat horis, vt patet sequenti schemate demonstratiuo allato ab *Andrea Argole in suo Pandoseo Spher.*



In quo corpus telluris, siue terræ circumferentia denotatur per B. F. centrum autem illius, A; & A. B. semidiameter, qui statuitur à modernioribus miliariorum 3436. D. B. I. est Horizon physicus, seu sensibilis; & tandem E. D. C. I. G. est circumferentia regionis aeris, per quam Cometa vagari à Peripateticis statuitur: modò distantia maxima, quam habere potest Cometa ab Horizonte sensibili, erit B. C. ipsaque linea erit miliariorum 52. quot ponuntur esse à terræ superficie ad ultimam aeris regionem.



gionem, quæ adiuncta lineæ A. B. terre semidiametro milliariorum 3436. constituet integram lineam A. C. milliariorum 3488. Cometa autem tunc apparebit, cum fuerit eleuatus supra Horizontem physicum D. B. I. & toto temporis spatio, quo percurreret arcum D. C. I; quod sanè tempus necesse erit indagare, vt habeatur quantitas, quæ requiritur in eiusmodi motu perficiendo, arcuque prædicto absoluendo; cuius fies voti compos tali pacto. Ducatur altera lineæ à centro Mundi A. ad D, constituaturq; triangulū rectilineum rectangulum A. D. B, in quo erunt nota duo latera, nempe A. B. centum semidiameter milliariorū 3436. & A. D. milliariorum 3488, vbi erit æqualis lineæ A. C. cum vtraque ducta sit à centro Mundi A. ad circumferentiam E. D. C. I; atque insuper notus est angulus rectus A. B. D. Statuatur itaque A. B. radius partiū 100000. tunc A. D. illicò erit secans anguli D. A. B. Fiat eni propter. Vt A. B. milliariorum 3436. ad radium 100000, ita A. D. milliario-

rum

rum 3488. ad secantem anguli prædicti, quæ reperietur partiū 101513. quibus in columnula respondebunt gradus 9. 54'. pro arcu D.C. opposito angulo D. A. B. determinante arcum prædictum ex sinu recto D. B; arcus autem prædictus D.C. graduum 9. 54'. duplatus constituet totum arcum D.C.I. graduum 19.48'. ex partibus 360. quæ integrum circulum componunt, cumque integro circulo horæ correspondeant 24. gradibus proinde 19.48'. nonnisi hora 1. & minuta 19. respondebunt, vt calculis innotescit; Vides ergo quantum Cometa supra terram permaneret, & videri posset, si sub Luna, & in regione elementari statueretur, quod contrarium experitur.

Inter recentiores modò, cœlestes Cometas adstruentes, plerique putarunt, alioqui tuètes Cœlorum incorruptionem, & ingenerationem, eos esse aggregatum plurium stellarum, præsertim viæ lacteæ, quæ quoniam antè aggregationem præ paruitate inuisibiles erant, mox facta coagmen-  
tatio-

tatione plurium inuicem coadunatarum, visibiles redduntur, vnumq; corpus Cometae formare conspiciuntur, adeò vt quousquè tale aggregatum stellarum permanserit, Cometa apparebit, cum verò dissoluitur, Stellaeque disperguntur, Cometa euanesceat. Huius assertionis Auctores sunt *Cysan. de Cometis cap. 7. Fortun. Licet. lib. 5. cap. 52. Resta lib. 1. sua meteorolog. tract. 1. cap. 5.* alijque, quãuis hæc fuerit ex parte à priscis Philosophis excerpta, præfertim Democrito, & Anaxagora supra relatis, Symphyfimi Stellarum Cometas appellantis. Probant autem hi talem opinionem observatione facta à præallegato *Cysano* in Cometa anni 1618. in quo, vt ipse refert, conspiciebatur nucleus ex multis stellulis conflatus. Addunt præterea quòd anno Christi 392. teste *Nicephoro.*, visus fuit Cometa, ad quem ingenti impetu alia Stella, veluti Apes aggregabantur. Confirmãt tandem, quia pleræque Stellae nouae, & Cometae propè viam lacteam apparuerunt, vbi promptitudo materiae

vnibilis adest, atque ad faciendam hanc  
 coagmentationem plurimum disposita : præcipua autem causa, qua mo-  
 ti sunt hi Auctores ad id asserendum,  
 est, ne Cælo, corporibusque cœlesti-  
 bus generabilitatem, corruptibilita-  
 temque tribuerent, quod quidē apud  
 Philosophos malè sonare videtur; præ-  
 dicta autem sententia tantum localis  
 motus in Cælo conceditur, seclusa  
 qualibet generatione, aut corruptio-  
 ne, ut manifestum est.

Verum, ut Cælis generationē, cor-  
 ruptionemque denegaret, multa alia  
 in ijs admittere videtur inconuenien-  
 tia. Et primò (dato quod multæ stel-  
 læ nouæ, & Cometæ propè viam la-  
 ctæam apparuerint, plures tamen aliæ  
 extrà illam in partibus Cæli distan-  
 tissimis ortum habuerunt, ut Cometa  
 de quo loquimur ) vel Cometæ isti  
 supponuntur esse in ipso Firmamen-  
 to, vel in orbibus Planetarum infe-  
 rioribus; si in ipso Firmamento, con-  
 sequens erit, ut illud statuatur fluidū,  
 liquidum, & permeabile, contra com-  
 munem Astronomorum opinionem,  
 relu-

reluctantibus insuper plurimis rationibus; nam alias, si solidum illud admitteretur, quomodo Stellæ illæ viæ lacteæ motum localé habere possent, absque scissuris, penetrationibus, & vacuitatibus? quæ omnia naturaliter admitti nequeunt ex physicis. Si verò in orbibus planetarijs Cometæ statuuntur, præterquam quod eadem sequuntur absurda, deberet etiam explicari, qua vi, quouè impulsu stellæ viæ lacteæ descensû habeant ad orbés inferiores Planetarum, vt in locum vnum vniantur, & aggregentur, atque iterum ascendant cum Cometæ dissipantur. Item vndè est, vt hæc stellæ tam diu durent, & non vltra, aut pauciori tempore, quare dissipentur, & coagmentationem dissoluant? Rursum cur sepe sepius Stellæ de nouo apparentes, & Cometæ non habeantur? cum semper stellæ viæ lacteæ, vel alterius loci cœlestis promptitudinem ex se habeant, vt coagmentari possint; igitur quia hæc explicare non minus difficillimum est, ac id quod dubitatur, idcirco præfata sententia

im-

improbabilis omninò redditur ex di-  
ctis .

Opinati sunt vterius alij quæren-  
tes Cœlis generabilitatem, & corru-  
ptibilitatem denegare, hosce Come-  
tas non esse de nouo productos, sed  
esse Stellas antiquas in Firmamento  
constitutas, verum præ nimia à ter-  
raqueo globò distantia, paruas, & fe-  
rè insensibiles apparere; descensu au-  
tem habito in orbés inferiores, vel ad  
primam Firmamenti superficiem fa-  
ctas viciniore, ac proindè visibiles in  
tanta magnitudine, & mole. Ità *Car-*  
*dan. 4. de subtil. & Fracastor. in Homo-*  
*centr.* in quam sententiam inclinant  
*Blanganus, Cornel. Gem. & alij* relati à  
*Keplero in Astronom. optica*, qui il-  
lâ mutuati sunt à Chaldæis, cæterisq;  
ex antiquioribus, Cometás asserenti-  
bus non esse de nouo genitos, sed de  
nouo conspicuos, ratione descensus  
habiti in suo Epicyclo ad perygæum,  
& partem terræ propinquissimam,  
sicut pariter aliquo modo à Seneca,  
vt supra relatum est. Quod autem  
Stellæ prædictæ ex vicinia maiori grã-  
dio-

diores appareant, visuque magis perspicuæ, patet manifestè ex propositione *Vitelion. 132. lib. 4.* quæ propinquiora sunt, apparent maiora, quæ verò distantiora minora.

Quæ similiter opinio, quamvis saluare contendat ingenerabilitatem, incorruptibilitatemq; Cœlorum, aduersantia tamen plurima secum affert. Et primò, si verum esset Cometæ, Stellæ antiquas esse, & latentes, descensu verò fieri apparentes, & cōspicuas, sequeretur Cometæ omnes nonnisi temporis progressu, maiores, & maiores apparere, non tamen primo intuitu, vt obseruationes testantur, & experientia ipsa demonstrat, quandoquidem descensus hic Stellarum cum sit motus localis, nonnisi successiuè, & in tempore fieri potest, stante autem hoc locali motu successiuo deberēt Cometæ primò apparere minoris magnitudinis, postea sensim augeri, ita vt tandem cum ad locum præfixum, tanquam ad terminū ad quem talis motus descensus aduenit, in maiori magnitudine appa-  
rent:

rét : at obseruati sunt plurimi Cometae, praesertim noster hic, qui primo insultu suae apparitionis illicò maiores apparuerunt, & mox minorari coeperunt, vsquequò ad insensibilitatem deuenissent, ergo. Secundo vel istae Stellae descendentes, & ascendentes supponuntur in Firmamento, vel alibi, in Orbibus, puta planetarijs; non equidem in Orbibus Planetarum, nã ibi praeter Planetas septem, Comites Saturni, Satellitesque Iouis, aliae non adsunt Stellae, ex cõmunissima Astronomorum sententia; Cometæ autem praeter istos sunt, & valdè distantes vt plurimum à Planetis, vt hic, adeò vt non possint esse Comites, aut Satellites, qui nõ elongantur multum à Saturno, vel Ioue, ergo in ipso Firmamento; at cùm à Firmamento ad inferiores orbis descendunt, nonnè debent scindere, vel penetrare ipsum Firmamentum, quod alioqui solidissimũ statuitur vnanimiter? Tertio qua vi, aut impulsu Stellae istae à Firmamento ad Orbis nobis viciniore descendit, quale hoc impellens, aut cõmouens? erit





erit nè fortassè huius descensus causa, quia Stellæ istæ factæ sunt seipsis grauiores, sicque propria grauitate, nec ab extrinseco impellente descensum habent? At peto, vndè hæc noua grauitas Stellis aduentata est? dices, ex additione aliarum Stellarũ, vel Cœli partium: Verum hoc asserere est absurdum, cum *Arist. 1. de Cælo cap. 3.* doceat impossibile esse Cœlũ circulari motu agitatũ, grauitatem, aut leuitatem habere, atque insuper *tex. 19. eiusdem Libri*, extendat ad partem Cœli; quam enim inclinationem habet totum, eandem retinent eius partes, quemadmodum E. G. Terra propria inclinatione ad centrũ Mundi rapitur, ita omnes illius partes ad Mundi cœtrum naturaliter feruntur. Nunc ad rem nostram sic arguitur. Totum Cœlum vti circulariter agitatũ, non leuitat, nec grauitat, sicut & omnes illius partes; atqui Stellæ partes sunt Cœlorum, igitur nec leuitatem, nec grauitatem habebunt. Neque subdant hìc Assertores huius opinionis Stellas hæc, seu Cœli partes

Co-

Cometis adiunctas, esse partes densiores, ideoquè grauiores: nam contra; quia si hoc esset, quotidie alia etiam Stellæ descendere deberēt, & plurimi Cometæ in dies obseruari, nã Stellæ omnes, densiores Cœli partes communiter asseruntur: remanet ergo & improbabilis hæc secunda recentiorum opinio.

Alij autem Auctores respicientes hbs Cometas vijs prædictis saluari nō posse, Cœlis attribuerunt generationem, corruptionemque, contra communiorē Philosophorum, putaruntq; ea propter Cometas verè de nouo in Cœlis generari ex fuliginibus, halitibus, seu spiramentis, tum Solis, tum aliorum Planetarum, quæque Planetarum exhalationes, vt vult *Gabaus*, vi ipsius Solis repurgantur, & mox repurgatæ, illustratæque, in Cometas, aliaq; Phænomena ætherea mutantur. Sequuntur hanc opinionē *Fortun. Licet. lib. 5. de nouis Astris cap. 41. Fromondus lib. 3. meteorol. Keplerus, Camerarius*, quoquo modo *Gloriosus*, alijque quamplures, qui in Cœlis

ge-

generationem, & corruptionem admittunt, eamque similiter ex parte tueri videtur *Pater Clavius in sua Sphæra*. Probant autem hi, has fuligines, seu exhalationes in ætherea regione, tum primò ex faculis, & maculis solaribus tubo optico spectatis, quæ continuò faciem Solis discurrentes, varias subeunt mutationes, in motu, colore, & situ, vt Astronomi omnes confitentur: tum secundo ex prodigiola illa caligine anni 1547. relata à *Scaliger. lib. 5. de temporum emendatione*, cuius causa Sol per plures dies sanguineus apparuit populis plurimis, imprimisque Belgis, Gallis, Britannis, & Germanis, tantaq; illa fuit, vt adhuc in meridie aliqua Stella visæ sint; cui similis extitit alia, quæ integro pœnè anno regnante Caio Julio Cæsare, in Cœlo spectata est, de qua *Virgil. & Lucan.* Item tempore Caroli Magni visa fuit macula pergrandis in eodem disco Solari septem continuis diebus perfillens, seque circumuolutans, quam aliqui illius tempestatis Astronomi, Mercurium sub Sole

Sole

Sole commorantem opinati fuere, licet falsò : constat ea propter adesse in aetherea regione fuligines prædictas .

Nec valebit dicere, eas revera mâsisse in regione elementari, nam argumentum ex parallaxi deductum, satis id euincit, siquidẽ maculæ istæ, & caligines prædictis temporibus obseruatæ ex diuersis, distitisque mundi partibus eandem magnitudinem, situm, motum &c. retinere conspectæ sunt, tam Sole in ortu, quàm in meridie, & in occasu constituto ; quod sanè minimè contigisset, si sub Luna, & in regione elementari permansissent, vt cuique perspicuum est : fieri modò, & generari ex his fuliginibus Cometas, & noua Sydera in Cœlis, comprobari potest, ex quibusdam observationibus Astronomicis; anno namquẽ 1618. tempore quo Trabs, & Cometa effulsit, nulla macula antè Solem visa est, sicut, & anno 1634. à 19. Iulij ad medium vsquẽ Septembris, vt refert *Andreas Argolus*, signum profectò tales maculas aliò versas, & in

B

Co-

## Cometam transmutatas .

Verum admittere in cælesti plaga generationem, & corruptionem, atq; asserere Planetas, & præsertim Solem corruptibiles, apud Philosophos cõmunissimè, ita abstrusum reputatur, vt id asserere temerarium ferè existimetur, & in intelligibile : Si namq; solare corpus esset obnoxium corruptioni, vel esset tale ex intrinseca sui ratione, seu dispositione, qua corruptibile intrinsecè dici deberet, aut esset tale ab extrinseco : at primum dici nequit, cum nulla intrinseca, & exigita dispositio sit proprij subiecti destructiua, cæteroque potius illius conseruatina : Neque secundum, nam quale est tale agens Sole potentius valens illum alterare, & corrumpere, indequè extrahere fuligines, & exhalationes? nullum profectò est assignabile : Addè, quod si daretur; qua vi has fuligines à Sole euocaret? fortasè virtute caloris intensioris introducti in corpus solare, vt in alijs experimur? nequaquam : nam nullum corpus ipso Sole calidius, præcipuè insi-

ta,

ta, & innata caliditate ; præterquam quod si Sol, & cætera astra essent corruptibilia , & ex suis corporibus has fuligines exhalarent, profectò ex tam longo tēpore, putà à principio creationis mundi vsque ad hæc nostra tēpora debuissent multum minorari, cum tanta copia halituum inde exspiraret, nemo tamen decrementa hæc in Astris, & Sole somniauit .

Nec dicas hoc idem argumentum militare in cæteris corporibus sublunariis, puta Terra, & Aqua, quæ etiam quotidie vapores, & exhalationes extrà se mittunt . Nam respondetur minimè vrgere, quoniam huiusmodi corpora elementaria, estò continuò exhalationes patiantur, illis tamen noua semper suppeditatur materia, pluuiarum nempe, imbrium, & similium, vi quarum continuò humectantur, humoreque scatent . Præterea globus terraqueus iam has minorationes, & defectus sui experitur, cū reuera decrementum habuerit ; antiquus enim maioris ambitus, & circumferentiæ obseruabatur, quàm nostris

hisce temporibus : intuemur enim  
 multis in partibus terram humiliorē  
 euasisse, maria per plures passus à lit-  
 tore distasse, decreuisseque : sic Nea-  
 poli maris littus antiquitùs in sedili  
 Portus fertur extitisse : plura etiam  
 hac de re scribit *Plin. lib. 2. hist. natu-  
 ral. cap. 89. Strabo in Geograph. Oros.  
 lib. 2. cap. 18. & Tertullian. in Apolo-  
 get. cap. 39.* Amplius, si solares macu-  
 læ, & faculæ ex ipsomet solari corpo-  
 re euaporarent, deberent profectò  
 esse æqualis luminis, & splendoris; cū  
 partes Solis è quibus eleuantur sint  
 æquè luminosæ, & splendidæ, adeout  
*Keplerus* asseruerit, quamlibet Solis  
 particulam, luminosiorē, lucidio-  
 remque omni Stella fixa, etsi scintil-  
 lanissima; maculæ autem prædictæ  
 varietatem plurimam inter se retinēt,  
 cum aliquæ obseruentur nigrae, ruben-  
 tes aliæ, quædam rariores, & subito  
 euanescentes, densiores aliæ, opacæ,  
 & consistentiores, ergo non à Solis  
 partibus exhalant, quæ has etheroge-  
 neitates excludit: Urget insuper eò  
 magis hæc ratio, quia vapor & exha-  
 latio

latio specie non differunt, iuxta communio-  
rem sententiam, à re ex qua  
exhalant, saltem in corporibus sim-  
plicibus, ita enim vapor ex aqua ele-  
uatus pars aquæ est, licet rarior, cum  
iterum in illam conuertatur; at ma-  
culæ solares non videntur hanc speci-  
ficam identitatem cum partibus So-  
lis retinere, nam hæ intrinsecè lumi-  
nosæ sunt, illæ verò omninò opacæ,  
& nebulosæ, igitur à corpore solari  
nò eleuantur. Denique, vt alias omit-  
tam rationes, ignea corpora putredi-  
nem non admittunt, nec ea propter  
corruptionem, ita Iguis in propria  
Sphæra iuxta sententiam eorum illū  
admittentium, corrumpi nequit, Sol  
autem igneus cum sit, adhuc Ecclesiæ  
Catholicæ attestatone, *Iam Sol rece-  
dit igneus*, talia incommoda ferre non  
poterit, præsertim cum eminentioris  
ordinis, & eleuatoris naturæ longè  
nobilioris igne elementari statuatur.  
Remanet ergo improbata pariter, &  
hæc opinio, quæ alioqui grauissimo-  
rum Auctorum est, generationem, &  
corruptionem in Cœlis adstruentiū.



Præfatæ opinioni non acquiescentes alij Cometas afferunt generari quidem de nouo in ætherea regione, verum ex eadem materia cœlesti, ex qua olim factæ fuerunt fixæ, per condensationem scilicet partium cœlestium, præcipuè ex Galaxia desumptarum, vbi materia magis disposita reperitur ad hæc Phænomena de nouo producenda; tales autem Cometas splendescere, atq; lucere, inquit, partim ex propria pelluciditate partium cœlestium, partim illustratione à Sole mutuata, aut reliquis Planetis, & fixis: Cumque non habeant, subdunt, tantam perfectionem, nec solidam coagmentationem, quam reliquæ Stellæ in primordijs suæ generationis adeptæ sunt, paulatim proindè euanescent, ac dissoluantur: ita sensit Tycho Brahe insignis Astronomus to. 1. progymnasm. pag. 794. quem sequuntur Baranzanus in sua Uranoscopia, Gloriosus lib. 5. de Cometis, Argolus in suo Pandos. Sphær. cap. 64. alijque.

Sed neque hæc opinio, quamuis admittat in Cœlis mutationem pro-

ba-

habilis existit, cum suas etiam patia-  
 tur difficultates : nā cum plures par-  
 tes Cœli cōglobantur , aut adden-  
 santur, debēt necessariò mutare locū,  
 & occupare minus spatium illo, quod  
 antea occupabant , vt E. G. si occu-  
 pabant antè addensationem, vti raræ,  
 spatium bipalmare , nunc vti adden-  
 sata, debent occupare spatium mi-  
 nus, p̄ta palmare, nam alias si idem  
 spatium occuparent , quod antea,  
 nulla prorsus variatio haberetur, nec  
 minus condensatio ; quod totū eui-  
 denter patet in spongia aliqua, quæ  
 si cōprimatur, & addensetur occupa-  
 bit spatium minus respectivè ad spa-  
 tium, quod occupabat cum in sui mo-  
 le, & magnitudine rara manebat: stāte  
 autem hoc, partes illæ bipalmare  
 spatium vti magis extensum occupā-  
 res, nunc se comprimētes, & conden-  
 santes, occupāt spatium palmare , er-  
 gò mutant locum, & locali motu cien-  
 tur, eoque diuerso à Cœlorum motu.  
 Undè autem hic localis motus? ab in-  
 trinseco nē, an ab extrinseco? Ab in-  
 trinseco esse non potest, quia partes

Cœli non habent potentiam loco motiuam, nec sunt animatæ (quamuis id falsò quidam Antiquiores somniauerint) nec minùs ab extrinseco, nam quale hoc impellens, & comprimens? profectò nullum. Secundo in locum in quo manebant partes illæ addensatæ, quæ priùs occupabant spatium bipalmare, ne detur vacuum, quæ partes succedunt, aut accurrunt illum occupando? forsan aliæ partes Cœli? & sic daretur motio, & agitatio in toto Cœlo, nam aliæ partes deberent succedere in locum aliarum successiuè per totum Cœlum, vt speculanti patet; & tandem adhuc vacuum admitteretur, in vicinis nempe partibus, quæ alias succedentes non haberent ad occupandum locum à se derelictum; præterquamquod Cœlum in quo talis motio, & agitatio contingeret, necessariò liquidum, & peruium admitti deberet ad tollèdas scissuras, & penetrationses.

Neq: istes hoc idem prorsùs euenire adhuc in aere, cum condensatur in hiatu, & voragine, ex sententia Philosophi in meteoris; nam in aere datur

im-

impellens, nempe exhalatio, aut vapor, quibus pariter plurimum per totam ipsius regionem refertus est, potens occupare spatium, si quod est, ab alio derelictum, ne vacuum admittatur. Tandem in hac opinione esset explicanda causa, cur isti Cometæ evanescant, & quare talis condensatio cœlestium partium Cometam, vel aliud sydus formantium dissoluatur? nam nequit dici ex eo id accidere, quia partes ipsæ cœlestes ad primogenam raritatem propria virtute reuertuntur; siquidem ex hoc inferretur aliqua violentia in Cœlis, quæ toto tempore durationis Stellæ, aut Cometæ persisteret, contra exigentiam partium cœlestium talem condensationem non requirentium: Nec minus dici potest, quod ab aliquo agente extrinseco rarefiant, nam hoc assignabile non est: nec insuper ex eo, quia partes Cœli condensatæ, illum splendorem amittunt, siquidem erit ne hoc quia à Sole, alijsque planetis non amplius illustrantur? id namque refundi non potest ad ipsosmet Planetas, & Solem, qui tale

B 5            lumen

lumen semper impartiri valent; neque refundi potest ad ipsasmet partes cœlestes, quibus aliquid desit; quin illustrentur, nam aliàs aliqua mutatio illis contingeret; at hæc mutatio quæ? substantialis ne, an accidentalis? substantialis esse nequit, alioqui partes Cœli induerent aliam formam substantialem, & sic nō ampliùs essent partes Cœli, præterquamquod hæc forma de nouo adueniens à quo agente introducatur est declarandum: Nequè accidentalis, nam hæc profectò esset de genere qualitatis; Verum quæ qualitas? non enim contraria luminis, nam lumen contrarium non habet ex *Philosopho 2. de Anim.* neque de genere primarum, quoniam adhuc esset explicanda, quæ foret, & à quo agente introducta etc. Nec de genere secundarum, nam hæc ex primis resultant, taliter dispositis, ac refractis.

**Dices ex raritate, quoniam partes illæ raræ factæ sunt; & tunc recurrit argumentum supra allatum, siquidem partes illæ raræ redditæ, vel regrediuntur ad proprium situm ab illis per se**

exi-

exigitum, & tunc dicendum est, quod manserint antea in situ illis prorsus uiolento, & innaturali, ergo illa addésatio, & Cometæ generatio fuit præter naturæ intentionem, & omninò uiolenta; at natura nunquam uiolentum operatur, nisi coactè, vndè ergo hæc coactio in natura, vt Cometa producat, vel aliud phænomenon in Cælo, & natura præter sui intentionem operetur? Vel non regrediuntur ad statum proprium, & ab illis per se exigitum, & tunc in perpetuum reuertentur statum, ab illis prorsus inexigitum, & innaturalem: at quid hoc absurdus? De Cauda verò, & Barba Cometæ, quomodo in tali opinione ratio reddi potest? præsertim cum illæ variationem subeant, omissis alijs ne in infinitum procedamus. Præsens itaq; opinio, vt plurimis difficultatibus inuoluta, remaneat etiam improbata.

His ergò reiectis aliorum opinionibus, atque prætermiſſis alijs hac in re fictiſijs respõſionibus, quæ pro Cometarum productione ſaluanda adducuntur, congruentiùs, ac probabi-

lius dicendum ipse putarem, seclusa à  
 cęlesti illa regione qualibet prorsus  
 generatione, corruptioneque cęlestes  
 hosce Cometas, & sydera de nouo ap-  
 parentia, generari ex eadem omninò  
 materia ex qua sublunares, elementa-  
 resque gignuntur, nempè ex fuligini-  
 bus, & exhalationibus terreis, sulphu-  
 reis, aut bituminosis, viscidis, ac con-  
 sistentibus, quę elementarem regionē  
 transcendentes, supraque Lunę orbem,  
 & in regione ætherea eleuatę, partim  
 ex propria leuitate, partim etiam ex  
 vi Solis, aliorumue Planetarum attra-  
 hentium, ibi multotiès illustrantur  
 tantum, plerumque etiam accendun-  
 tur, iuxta ipsarum dispositionem, &  
 quotiens durant tales exhalationes  
 compactę in vnum, & accensę, tam-  
 diu Cometa perdurat, vel nouum aliud  
 phœnomenon. Vt autem res ista pla-  
 nius intelligatur.

Est primò præaduertendum, Cęlum  
 planetarium, vbi scilicet septem Pla-  
 netę consistunt, liquidum, & peruium  
 existere, prout fusè alibi probatum  
 suppono, nam alias scissurę plurimę,  
 pene-

penetrationes, & vacuitates admitte-  
rentur, vt ex proprio loco .

Præaduertendum secundo , macu-  
las , & faculas solares esse has exhala-  
tiones terreas vi Solis attractas , ibiq;  
accensas, aut illustratas , non autē esse  
spiramenta, & fuligines ipsiusmet So-  
lis, prout supra probatum est : Ex quo  
sequitur de facto , ac perenniter tra-  
scendere has fuligines ætheream re-  
gionem , non impredientibus orbibus,  
siuè orbitis Planetarum , vtpotè liqui-  
dis, ac permeabilibus.

Quibus præaduersis patet modo,  
Cometas, aliaq; sydera de nouo pro-  
genita in ætherea regione ex hisce ha-  
litibus, & exhalationibus eo peruētis,  
ac illustratis, aut accensis fieri , absque  
eo quod admittatur cælestium corpo-  
rum corruptio, & generatio, & absur-  
da plurima indè sequantur : Hac au-  
tem nostra assertione , & res benè sal-  
uatur, & tot absurda penitus exptun-  
tur . Confirmatur , quia anno 1618.  
vt supra innuebamus , quo tempore  
Cometa apparuit, maculæ solares non  
adfuerunt, ergò manifestum signū erat  
cas



eas in Cometae corpus eò tunc fuisse  
 conuersas, quæ quidem maculae cum  
 non potuerint esse halitus solares, vt  
 supra offensum est, remanet, vt dica-  
 mus eos fuisse terrestres, & sublunares.

Nec obstat primò si dicatur, has  
 exhalationes terreas non transcende-  
 re tertiam aeris regionem, vel ad sum-  
 mum ignis sphaeram, quo in loco ac-  
 cenduntur, & in varias ignitas improp-  
 siones, iuxta varias illarum disposi-  
 tiones transmutantur, de quibus *Arist.*  
*in lib. meteororum*. Siquidem id etsi  
 pluries eueniat, negandum tamen non  
 erit, quin ascendere adhuc nequeant  
 ad planetariam plagam, quæ penetra-  
 bilis est, & fluida, cum scilicet non  
 sunt exactè dispositæ eo in loco ad  
 ignem concipiendum, aut quia nimis  
 crassæ, & viscidæ existunt, & maiorem  
 attenuationem exoptulant vt igne-  
 scant, & sic cum in dies attenuentur  
 ascendunt ad ætheream regionem, &  
 partim coadiuuante propria illarum  
 leuitate, partim etiam virtute Solis  
 attrahente, aliorumque Planetarum,  
 non impredientibus orbibus Planeta-  
 rum,

rum, vti peruijs, fluidisque. Quo in loco notandum volo, nos non negare Cometas adhuc sublunares, & in terra aeris regione permanentes, licet Cœlestes admittamus, quemadmodum fuit ille, qui Hierosolymis per integrum ferè annum imminuit.

Nec obstat secundo, quod si Cometae ex halitibus, terreisque exhalationibus formarentur, non possent habere per multum tempus figuram permanentem, cum hæ instabiles sint, & fugaces, alioqui obseruatum cum sit multoties eos plurimum temporis perduratos.

Nec obstat, inquam, quia hoc idem argumentum militaret, si valeret, in Cometis sublunariibus, quandoquidem hi etiam ex his fuliginibus terreis generantur, & tamen per multum temporis adhuc perseverant, vt inter alios fuit Cometa gladius Xiphias à Grecis dictus, qui per integrum annum supra Hierosolymam pependit antè illius excidium, vt refert *Flau. de Bello Iud.* Itaque mirum esse non debet, si talem figuram per multum temporis reti-

retineant, postquam simul coagmentati fuerint tales halitus terrestres, præsertim cum hi tenaces sint, & viscosi, qui facillimè hærent, & compaginantur.

Nec obstat tertio, quod impossibile videatur tantam fuliginum copiam è terraqueo globo eleuari, vt Stellæ magnitudinem repræsentet ferè ipsi terraqueo globo æqualem, & quandoque maiorem nam necesse foret terraqueum globum integrum in halitus verti, dissolui, & evaporare.

Non inquam id obstat, quia neutiquam impossibile est, imò possibilissimum, atque de facto experimentis obseruatur. Videmus namquè exiguam partem ellychnij male extincti, tantam fumi copiam eleuare, vt nubecula magna in aere excitetur, nullam habens cum illo comparisonem. Insuper prætermisso hoc, saluari id benè etiam potest ex eo, quia continuò in elementis, præsertim terra, & aqua noua supeditatur materia, tum plantiarum, tum animantium, tum corporum viuentium, tum caduericorum, ex quibus absque  
eo

eo quod terra imminutionem patiatur, possunt vapores, & exhalationes in tanta copia eleuari, vt corpus Cometæ magnum efficiant: Exemplificatur hoc ad euidentiã quolibet in corpore viuenti, & præsertim humano, quod toto tempore suæ vitæ perenniter euaporat in sudoribus, subtilioribusque fuliginibus per cutis poros assurgentibus, cum tamen imminutionem non patiatur, sed potius excrescat, non aliundè sanè, nisi quia semper noua superadditur in corpore materia: ita pariter in terra, in qua tot arborum, herbarum, fructuum, lapidum, & cæterorum excrescentiæ, cadauerum putredines, & corruptiones, pluuiarum ingluuies, hominum, reptilium, volatiliũ, aquatiliũ, quadrupedumque nouæ generationes in dies habentur; impossibile ergo reputari non debet, quod tanta copia halituum indè eleuetur absque sui imminutione. Adde quod appariti sunt Cometæ sub Luna, & in regione elementari, triplo maiores Venere, vt obseruauit *Haly Rodan*: item Soli æquales, vel

vel Lunæ , vt fuit ille tempore Nero-  
nis, de quo *Seneca* , & alius relatus à  
*Cardano* , qui erat ferè Lunæ dimidiū,  
circà annum Domini 1566, ergò cum  
hi ex exhalationibus terreis sint for-  
mati, tantamque magnitudinem re-  
tinuerint, nō mirum postmodum erit,  
cum in ætherea regione aliqualem  
etiam magnitudinem obtineant.

Nec dicas tales Cometas apparuisse  
Soli, vel Lunæ æquales in elementari  
regione ob viciniam, quam habebant  
corpori telluris, nam que propinquo-  
ra sunt apparent maiora. Siquidem  
dato hoc, quod infra Lunam fuerint,  
& in regione elementari, & estò verū  
sit, quod propter propinquitatem  
plus solito maioris apparuerit, &  
pròinde Soli, vel Lunæ æquales; facta  
tamen comparatione talis magnitu-  
dinis in loco elementari, & viciniore,  
cum magnitudine minori ad distan-  
torem situm, certè Cometæ prædicti,  
licet collocati fuissent in regione cæ-  
lesti, adhuc æquales ad minus appa-  
ruissent Veneri, aut Ioui, data propor-  
tione apparentis diminutionis ad di-  
stan-

stantiorem locum, non proinde ex hoc sequitur, illos ex materia elementari haud fuisse genitos, quoniam si sub Luna formari possunt triplo maiores Venere, Soli, vel Lunæ æquales ex exhalationibus prædictis, poterunt consequenter benè produci ex iisdem exhalationibus Veneri, vel Ioui æquales in plaga Planetaria, liquet proinde tantam exhalationum copiã posse adunari, vt formentur Cometae nimiae magnitudinis supra Lunam, & in regione cælesti absque totali telluris dissolutione, & in halitus transmigratione, quemadmodum contigit in Cometa nostri temporis paulò maiore Venere, dein' Ioui æquale; hic autè, si fuisset in regione elementari, certè visus foret ad Lunæ, vel Solis æqualitatem. Et hæc de materia, & natura huius Cometae.

Ex dictis patet etiam quæ fuerit illius forma, siquidè illa tota fermè cõsurgit ex illustratione, & accensione harum exhalationum, vt infra. Reliqua, quæ hic addi deberent circa illius Caudam, & Barbam, motum, lumen,

co-

colorem, ac diminutionem peculiari capite, inferius enucleabuntur. Nunc

## Quæ huius Cometæ Causa Efficiens.

**Q**Uærerere hic, quænam sit causa efficiens cœlestium Cometarū, aliud non est, quàm dubitare de causa attrahente, illustrante, & accendente has exhalationes, quæ quidē iuxta nostra principia erunt solummodo Planetæ, præsertimque Sol, tum in attrahendo, tum in illustrando, vel igne faciendo, qui vi sui caloris, & potestatis, qua præminet in sublunariis, vapores, & exhalationes vberiores in causa est, vt attrahantur, & concurrente etiam lumine illustrentur, vel accendantur, coadiuuantibus pariter reliquis Planetis ratione propriarum influentiarum in disponendo res elementares, indèque attrahendo exhalationes prædictas, vel etiam in influendo suas qualitates beneficas, vel maleficas pro ratione in habitibus  
iam

iam attractis, & dispositis. In Cometa autem huius anni dicendum erit Solem simul cum consortio Saturni plurimum, parum Iouis effectiuam causam extitisse, vt ex alijs in finali causa dicendis, clarius innotescet.

Hinc non omninò erit improbanda illorum opinio, qui Planetarum Magnis coniunctionibus pro causa efficienti horum Cometarum productionem tribuerunt quamuis non per se semper, cum plurimi Cometæ sint obseruati absque his Planetarum coniunctionibus, sed solum in quantum vi harum coniunctionum ita alterantur, disponunturque elementa, resque elementatæ ob communicantiam virium Planetarum inter sese, vt vel exhalationes vi Solis attractæ talè induant qualitatem Planetarum coeuntium, vel etiã copiosiores attrahantur taliter affectæ, vt compaginari, & Cometicum corpus eformare valeant, vnde coadiuuantes causas ipse potius appellarem, quàm principales, & nec minùs ipsas coniunctiones, sed potius Planetas coeuntes, & inuicem influentias,



tias, & naturam commiscentes, ac corroborantes.

Nec huic dicendi modo contrariabitur *Keplerus*, qui inuehitur contra quendam Astrologum, qui gloriabatur, se ex plurimis coniunctionibus prædixisse multò antea futurum Cometam anno 1604. de mense Octobris his versibus.

*At si quis Iouis, & Martis congressa  
duorum*

*Astra Planetarum imberbem genuisse  
Cometam,*

*Prædictumque sibi magno contendat  
hiatu*

*Astrologaster iners: centum opponemus  
eidem*

*Errorum coitus nullum genuisse Co-  
metam,*

*Vera loqui casu, mendacia mille lo-  
quentum.*

Non contrariabitur, inquam, quia non simpliciter, nec semper ex hiscè coniunctionibus nouæ Cometarum productiones subsequuntur tanquam effectus per se dependentes à causa principali, sed tantum coadiuuatiuè, vel dispositiuè.

Ve-

Verum estò id modo nuper enarrato aliquo modo attribuã Planetis Ioui, & Saturno ex illorum coniunctione peracta in signo Sagittarij anno 1663. de mense Octobris, non tamen hoc tam libenter concederé Ioui, & Marti causa coniunctionis inter eos initæ in signo propè Tropicum hyemale, ut quidam affirmare videntur, nam præterquamquod Cometa hic nihil Martis parùm autem Iouis retinere visus est, incredibile etiam videtur tam illicò, & veluti instantaneè hos Planetas potuisse exhalationes sursum euocare, & Cometam producere, cum coniunctio prædicta Iouis, & Martis contigerit præterito mense Decembris, quo tēpore Cometa iã affulserat.

Si dicatur tamèn præfatã Iouis, & Martis coniunctionem in capricorno signo terreo peractam concurrisse ad huiusmodi Cometæ productionem tantummodò celerius efformandam, præsertim cum antecedenti mense Nouembris 1664. præcesserit coniunctio Saturni, & Martis in Sagittario, appellante *Albumasar in lib. de Magn.*

con-

*coniunct. diff. 1.* Martem præcipuam  
Cometarum causam, improbable ex  
toto non reputarem; siquidem harum  
coniunctionum virtute alias Come-  
tas generatos peritissimi affirmât Au-  
ctores, & signantèr in anno 1472. vt  
refert *Angelus Cato in Historia Cometa  
illius temporis ad D. Ioannem de Arago-  
nia*, Vnde huiusmodi Martis coniun-  
ctio siue cum Saturno, siue cum Ioue,  
Cometas causare solita est ex doctri-  
na eiusdem *Albumasar in suis floribus  
Astrolog.* modis tamèn nupèr enarra-  
tis, quatenùs scilicet vël exhalationes  
vi huiusce coniunctionis copiosiores  
attrahuntur, & disponuntur, vel etiam  
attractæ, ac dispositæ in vnum conglo-  
bantur, & Cometam efformant: Equi-  
uocæ enim causæ Planetæ sunt, non  
Vniuocæ ex alibi probatis.

Tribuere tandèm totum hoc nego-  
tium Deo effectiuè operanti, vel per  
se immediatè, vel ministerio Angelo-  
rum, vt Cometa genitus sit ad aliquid  
mali portendendum, vt sentire viden-  
tur *Conimbricenses, & Clavius*, & affir-  
mat *D. Damascenus in lib. de fid. ortodo-*

*xa cap. 7. circà medium*, esset philosophati extrà limites naturales, quos transcendere bono nō conceditur Philosopho, cum alioqui possimus assignare causam efficientem absque recursu ad Deum Opt. Maximum principaliter operantem.

Nec arguas pro parte prædictorū Auctorum effectus horum Cometarum, & signanter istius plerumquē incertos esse, & nonnisi cognitos diuinæ prouidentię, & iudicio, cuius causa Cometæ prædicti nobis ostenduntur in signum futuri, & imminentis mali, vt in proœmio innuebamus; ex quo videtur probabilissimum, imò rationi valdè congruum causam efficientem huius Cometę solum Deum esse: Nam responderi potest, quod licet effectus Cometarum incerti sint, & accipites, solique Deo tantum cogniti, & manifesti; atque insuper quod Deus illis vtatur ad ostendendum imminens aliquid quod malum, vt è sceleribus tandem respiciamus, more benignissimi, ac misericordis Patris, qui minas præmonstrat, signatque damna antè fla-

C

gel-

gellum, non tamen benè ex hoc sequitur Deum ipsum harum apparentiarũ principalem effectorẽ esse, sicut non benè sequitur, quod Deus acceperit in signũ serenitatis Iridem ex fœderẽ inito inter eum, & Noè, sit etiam Iridis causator, & productor: Vndè quẽadmodũ Deus assumpsit Iridem, effectum alioqui naturalem, in signũ pietatis, & benevolentiaẽ, ita paritèr assumit Cometas effectus similiter naturales in signum iræ, & vindictæ, licet alioqui causa efficiens illorum non sit; potuit tamen ita naturales effectus præordinare, vt statutis temporibus in signa deseruiant, quos effectus fauusti, aut infauusti deinde sint consequuturi. *Et hæc de Efficienti.*

### Quæ Causa Finalis.

**Q**Uoad causam Finale[m], quid nimirum præsens Cometa portendat, nulli dubium est, quin mala vtunque præsignet, iuxta vulgatum illud

*Nun-*

SIC

Nunquam Mundo spectatum impune  
Cometem

Vel ex Virg.

Nunquam Cælo spectatus impune  
Cometes.

Et generalitèr quidè m, vt historijs perhibetur, post tales Cometarum apparitiones sempèr infortunia subsequuta sunt, vel Urbium excidia, vt Hierosolymis euenit; vel sterilitates, & ariditates, vt tempore Agathonis Papæ, & anno Domini 674. 1506. ex *Suessano*, 1604, & 1472. vt narrat *Angelus Cato*; vel mortalitates & pestes; vt contigit tempore Greg. II. Pontificis, cum pestis dira Byzantinos inuasit, ac anno Domini 674. 704. & anno 985. ex *Platina in Vita Io: XVI. Pontificis*, & anno 1067. 1308. teste eod. *Plat. in Vita Clem. V.* ac etiam anno 1340, vt refert *Leo Aret. lib. 6,* & *Petrus Marcell. in Vita Dug. Ven.* quo tempore Europa, & præsertim Italia sua peste affecta est, & insupèr anno Christi 1358. 1472. referente *Angelo Car.* sicut & anno 1533. ac tandem anno 1577. in ipsamet Italia, vt meminuit

C 2

Port.

*Port. lib. 4. de peste cap. 28,* qua motus  
*Hieron. Mercur. tract. de peste cōscrip-*  
*psit: Aut Terremotus veluti anno 30.*  
*Imperij Iustiniani, vt testatur Eutrop.*  
*cū Tellus decē diebus, totidemq; no-*  
*ctibus motu terribili concussa est, atq;*  
*anno Christi 78. apud Cyprum, adeo-*  
*ut tres Vrbes vnā currerent, q̄ simili-*  
*ter contigit anno 114. itemque Im-*  
*perante Valētiniano Vngaro V. quā-*  
*dō tota Terra tremuit, vt habetur*  
*Chronic. 9. multæque Siciliae Ciuitates*  
*desolatae fuerunt, ac terremotu sub-*  
*mersæ, ac insuper tempore Io: XVI.*  
*Pontif. quemadmodum narratur lib.*  
*12. Chronic. quo Capua, & Beneuen-*  
*tum ferè fuerunt desolatae, ac etiam*  
*anno 1294. sub Pontificatu Bonifac.*  
*VIII. ut Pontifex coactus fuerit li-*  
*gari in domum habitare, cum lapideæ*  
*turæ non fuissent, amplius anno 448.*  
*& 1000. 1301. 1474. atque postremò*  
*anno 1577: Aut inundationes, & Vr-*  
*bū submersiones, vt sub Imperio So-*  
*phie Iustini Imper. vxoris accidit, quo*  
*tempore Tiberis multum extrā pro-*  
*prium alueum excreuit, & item cum*

Con-

Constantius Imper. ob Mezentij infidias fuit occifus, propter pluuias plurimas inundationes adfuerunt, vt fertur pariter de Helice, & Buri fubmerfis, ac demum anno Chrifti 1451, Ant feditiones & Belta., indeque Fames & Penuria, vti anno ante Chrifti ortum 73. vt eft apud *Chronic. Auct. lib. 7.* & tempore Bonifacij VIII. in Italia, & anno 984. atq; anno 1000. quo Otho Imper. bellum gellit cum Gefcente, qui Romanam occupauerat, & fequenti anno Henricus cum Arduino acerri-  
me cõfligit; ac anno 1090. 1097. cum Gottofredo Hierofolymani recupe-  
rauit, atque amplius fedente Papa Ca-  
lifo III. quando Turcarum Impera-  
tor Neocæfariam vi cepit, & Iacobus Piccin. cum Genenfib. præliatus eft:  
Aut penuria, & fames, vt tempore Io:  
Papæ XVI. *Chronic. 12.* & anno 363.  
& fub Pontificatu Clem. V. & Califti  
III: Aut principum mortes, vr anno  
Domini 324. quo tempore Conftan-  
tinus obiit, & anno 824. 1313. ficut  
dicitur *lib. 3. Chronic.* ac anno 1577.  
cum plurimi Principes diem obierint

C 3 suum,



suum, sicut & anno 1618: Vel sectarū,  
 Regnorū, legumq; mutationes, vt an-  
 no 589. cum Mahumettus suas leges  
 promulgauit, & anno 1097. quando  
 Cystericiensis Religio cæpta est, & tē-  
 pore Bonifacij VIII. quo, teste *Venantio*  
 orta est Fraticellorum hæresis, quem-  
 admodum anno 1527. 1511. atque  
 1618: quibus tēporibus plurimæ mu-  
 tationes adfuerunt: Vel inuasiones  
 depredationes, & captiuitates, vt an-  
 no 722. quo tempore Luitprandus  
 Rex Longobardorum Romam obse-  
 dit, & Saraceni vi Hispaniæ partem  
 occuparūt, atque anno 1522. & 1526:  
 Vel tandem contagiosa lues, fraudes,  
 deiectiones, deuastationes, & plerq;  
 alia calamitates, vt anno 1618. & suc-  
 cessiuè nostris hisce tempestatibus, de  
 quibus omnibus innumeri penè ex-  
 tant Auctores, tum Philosophi Astro-  
 nomi, tum Historiographi talia dam-  
 na post apparitiones Cometarum suc-  
 cessa referentes, quorum aliquas etiā  
 assignant rationes ex physicis desum-  
 ptas; licet cūr hæc in specie mala, &  
 non alia, aut quare huic, & non alteri  
 loco

loco contigerint , non solùm non declarent , verùm etiam incertum putèt determinare , atque ferè impossibile scitu , cùm concludant , id tantum diuino iudicio reseruatum , futuro aliquo tempore manifestadum . Et sanè : nam cum sint signa tantùm , & non causæ , eaque rarò cõtinentia , proindeque multò obscuriora , magisque recondita ijs , quæ Planetarum , reliquorumque Astro- rum configurationes ostendunt , vt scitè *Ptolem. 2. quadr.* asserens , Cometas , aliasque meteorologicas impressiones secundas partes in iudicijs obtinere , nèc à priori possumus certam sui cognitionem habere , sed tantùm ex obseruationibus , & experimentis , quæ pro temporum diuersitate varia euenerunt post Cometarũ apparitiones , idcirco velle assignare certos euenturos effectus ex Cometis rationabili fundamento , impossibile reputatur in re tam à nobis distita , mutabili , temporanea , & euanescibili .

Adde quod apparsi Cometæ vsque ad hæc nostra tempora , & in historijs relati , tam inter se varij , differentesq;

extiterunt, in magnitudine, lumine, colore, appendicibus, motu, loco, tēpore, Cœli positu, & similibus, vt ex experimentis ipsis, atque obseruationibus comparatio; aut exemplificatio certis coniecturis fieri non possit; iure proindè Tycho Astronomus, alioqui peritissimus, & in rebus Astronomicis consumatissimus, simili in re de Stella noua anni 1572. tom. 1. progymnasim. pag. 802. postquam dixisset, eam ingentes, grauissimosque effectus parituram, subdit, *qui quales in specie sint futuri, nulli equidem mortalium satis perspectum diiudico*, & Keplerus non minoris fame, & doctrinæ Auctor, inquit, horum scientiam Deum sibi reseruasse.

Estò tamen hæc ità sint, ne videar hac in re præ cæteris optabiliori deliquisse, neuè mancus, & mutilatus appareat hic discursus, libeat ad explendam aliquorum curiositatem medijs quibusdam coniecturis, quibus in simili vti solent Astrologi, hic enumerare præcisiùs ea, quæ ex tali Cometa præsignari videtur, me quoquomodo inni-

innixis coniecturis probabilioribus, rationique magis congruentibus, quibus ipse summopere delector, omnis cæteris figmentis potius, vanisque Arabum, aliorumque considerationibus, factis tamen prius debitis, consuetisque protestationibus, quæ a Catholicis Philosophantibus hac in re fieri consueverunt, inter quos & Ego, etsi minimus, sicut Sapientiæ cupidus sum, & amator, ita pariter fidem Catholicam ex corde immaculatam conseruo, Pontificijsque decretis promptissimè pareo. Facto ea propter exordio.

Considerant pro prælagijs constitutionum generalium ex Cometis Rationabiles Astrologi ex Ptolemaeo, Cometæ colorem, locum, in quo primò apparuit, positum, ac qualitatem Planetæ dominantis, tum loco, tum Stellæ naturæ, & qualitati, atque alia, vt passim infra.

Cumque Cometa hic ab initio, quo à nobis fuit obseruatus (exactam enim, atque præfixam sui initiationem à nemine hunc vsque habere potui, vt ex illa eruerem etiam Cœli situationem,

quæ multum in hisce prognosticis formandis meo iudicio valeret) de natura parùm Iouis, plurimùm autem Saturni apparuerit; siquidem cum cineritij coloris existeret, declinabat etiam aliquantulum ad argenteum vnà cum illius Barba, & successiuè postmodum adeò cineritius factus est, vt tandem ad fuscèdinem nigricantem desineret, factum proindè est, vt absque vlla dubietate Saturninus reputatus sit; Cometas enim ità Astrologi distribuunt, vt cineritios, fuscòs, aut nigros Saturninos appellent; candidos, aut argenteos, & lucidos Iouiales: rubros, ac rutilantes Martios; flauos, Venereos; varicolores, Mercuriales; pallentes tandèm, aut nimiùm albos, Lunares: Nec sine ratione, nam cum suprà dictum sit tales Cometas ex fuliginibus, exhalationibusque terreis generari, à Sole, alijsuè Planetis attractis, illustratis, aut accensis, ijs consequenter imbuuntur qualitatibus, quæ à tali, aut tali Planeta præuijs influentijs, & lumine, agendi vi, & potestate illis communicantur: atqui qualitates à Saturno

com-

communicatæ , eius sunt conditionis,  
 vt fuscum , & nigricantem colorem  
 præferant, sic namquè ex *Ptolem. lib.*  
*3. quadr. cap. 16.* concurrente experiē-  
 tia edocemur sublunaria corpora, iux-  
 tà varias stellarum errantium influen-  
 tias, ex concursu habito in primordijs  
 generationis eorundem , variò affici  
 circa qualitates , tùm primas, tùm se-  
 cundas, & præsertim temperamētum,  
 formam , figuram , & colores, vt pro-  
 indè vno ore fateamur melancholi-  
 cos, fuscos, nigrosque homines Satur-  
 ninos; rubros , ac biliosos Martiales,  
 sicquè de alijs ; igitur non sine proba-  
 bili ratione eos effectus portendet hic  
 Cometa , qui de Saturni qualitatibus,  
 & natura communiter exponuntur,  
 huius autem generis numerantur ste-  
 rilitates , annonæ caritates , inopiæ,  
 egestates, fraudes , angustia , luctus,  
 exilia, captiuitates , morbi epidemia-  
 les, & chronici, pestilentesque , detri-  
 mēta in animalibus, damna ex noxijs,  
 tempestates ad frigus declinātes, gla-  
 cies, niues, grandines, naufragia, inun-  
 dationes, venti violenti, & reliqua ma-

la his similia de natura Saturni.

Ratio autem cur Cometæ talis, aut talis coloris, significet effectus eorum Planetarum, quorum colores retinet, ea esse potest, quia istæ exhalationes assurgentes ad ætheream plagam in sui compactione, formatione, & degeneratione in Cometam, receperunt qualitates, & influentias huiuscè Planetæ, cuius postmodum colorem, & naturam repræsentant, ergo signum est, quod iam talis Planeta multum viguit, plurimumque valet in regione Cœlesti, & elementari, si potens fuit, & existit præ cæteris Planetis tali compactioni, productionique dominari, inferreque colorem, & naturam suam tali Cometæ; si igitur viget influenza, & potestas istius Planetæ in Cœlo, & in Elementis, omnia cõsequenter sublunaria erunt peculiarius infestata, & qualitatibus ipsius Planetæ, vnde consequentur effectus de natura ipsius.

Verum, vt omnia simul in Cometa prædicto concurrentia examinemus, libeat hic repetere obseruationes ex isto habitas. Obseruatus ergo hic primo

mò fuit sub signo Libræ, habito respectu ad longitudinem Eclipticæ, eiusque Polos in Primo Mobili, vel sub constellatione Virginis respectuè ad Mundi Polos, & ad Zodiacum Asterismorum in Firmamêto, suprâ caput Centauri, & paulò intrâ Caudam Hydræ, Stellas inter Saturninas, sub dominio, & dispositione Saturni de quadrato ferè respicientis ipsummet Cometam, vt proindè consideratis, tum natura Stellæ Cometicæ, eiusque colore, tum loco quoad Zodiacum, & Eclipticam, tum etiam positu constellationis item Saturninæ, cùm singula concurrant Saturniâ qualitatem præferentia, sequitur ea propter vt mortalitates nimium prauæ, malignæ, ac pestiferæ portendantur, tempestates ad frigus vergentes. vnâ cùm frugum inopiâ, & caritate. Et licet ob Iouiam luciditatem, quam primò retinere visus est Cometa prædictus, possit designare aliqualem fertilitatem, & abundantiam, prout Iouia potestas exoptulat, tamen puto id vel initio tantum suorum effectuum, parumque

du-



duraturum, vel etiam apparenter, tandemque in malum, & in saevas calamitates finiturum, quandoquidem fuscus ex toto Cometa factus est, cineritijq; coloris, atque proindè de natura Saturni. Insuper ex eadè ratione, ægritudines ferè omnes sequentibus annis contingentes humanæ speciei sanguineæ, proindèque calidæ, fortassis euenientes, semper ad malum conuertentur, atque prauam, malignamque sapient conditionem. Ampliùs Magnates, & personæ Iouiales, omnesque in dignitatibus constituti, mala in proprijs operibus, actionibus, honoribus, & vita experientur, bonaque felici initio inchoata, vertentur in infausum, plurimasque patientur mutationes, lésiones, deiectionesque, itaut tale tempus, alioqui apparenter propitiũ, tũcum nõ sit, nec illi fidendum, quamuis, vt dixi, apparenter optabile. Ita pariter Ecclesiasticis, ac rei Ecclesiasticæ addictis noxium omen præsignatur cum aliquali mutatione alicuius Religionis, tũ ob rationes præallegatas, & prædominium Saturninæ virtutis

tutis suprà Iouiam, tùm etiam ratione signi Libræ , in quo primò Cometa visus est, quippe quod tale signum æquinoctiale religiosum statuitur in combinatione Trigoni aerei ex doctrina *Ptolem. 2. quadrip.*

Causa eiusdem signi Libræ , timendum erit, nè succedant, præter frugum inopiam, bonorum iacturas , & furentium ventorum abundantiam ( quod Deus auertat ) Terremotus, præsertim cùm Cometa post motum habitum à loco primi insultus & signo Libræ, deuenit ad initium Tauri signi terrei, nec non ad constellationem Cæti, atque præcisè in caput illius, medius inter Stellas maiori ex parte Saturninas, quo in loco per plures extitit dies, asserentibus *Albumasar, Haly, & Argolo* Cometas in Libra apparètes, terremotus multotiès præsignare. Non deerunt ex iisdem coniecturis inobedientiæ erga Superiores, & Dominos, coniurationes, insidiæ &c. atquè indè plurima alia inconuenientia, combinatis simul indicationibus desumptis, tùm ex signo in quo primùm spectatus est, tùm

tum etiam ex loco, vbi in fine perstitit, adiectis insuper qualitatibus Saturni, quas præsetulit vtroque, & in summo. Cumquæ Saturnia qualitas infensissima sit humano generi, atque Cometa prædictus tandem Saturniam in naturam totaliter degenerarit, quæ mala ex hoc capite Mortalibus portendantur, adhuc exponere pertimesco; considerata illius cõditione, nam validæ extant coniecturæ, quod noxia plurima euentura sint: vnde Principum mortes, populorumque deplorandæ calamitates, rerum mutationes, cum fraude, dolo, tergiuersationibus, insidijs, conirrationibus, & similibus. Bacchabantur deindè seueritates, terrores, infidelitates, luctus, mœstitiæ &c. Viles, infames, & plebei vigeunt, arrogantia, peruicacitate, malignitate, ac effrenatione, vndè dissidia, lites, rerumque vicissitudines.

Attento insuper loco, vbi tandem motu quieuit, vt nostram quietem perturbaret, coniectari licet, quod insurget morbus, aliqualem nouitatem à cæteris præferens, cum humorum

corruptela , atquè superficiarijs quibusdam signaturis, aut læsionibus: itè animalium vtilium , præsertim maiorum mortalitates, infensorum autem, aut inutilium generationes præsignantur: aquarum copiæ, & damnosæ, fluminumq; inundationes præcipuè circa Vernum tempus, & Autumnale, atque fructuum corruptiones prædicuntur; Ad hæc ariditates postmodum subsequenter . De facili etiam aliqualis mutatio Dominiorum , & Monarchiarum repullulabit , aut de Statu in Statum, aut de Dominio in Dominium, aut de Religione , & Statuto in aliud Statutum, concurrentibus ad id , tum apparitione huius Cometæ in parte Meridionali , & propè Tropicum Capricorni, tum, motus causa, loci variatione de parte ab Æquatore versus Polum Antarticum, & Hemisphærium Australe, ad Æquatoris partem , versus Polum Arcticum , & Hemisphærium Boreale ; tum etiam primo Cometæ insultu in signo æquinoctiali Australi, & mobili, peragratiq; ab illo ad signum fixum terreum, & Septem-

temtrionale, quapropter etiam timendum erit; nè damna parti Boreali imitentur prodeuntia à parte Australi, atquè illarum Regionum calamitates hæ experiantur, ac deplorent, non sine plurimum euerfione, & vlulatu; quavis tamen putem post tot malorum, & infortuniorum successiones, quæ vt infra obseruabuntur, magnam rerum tranquillitatem, & Christianæ Religionis incrementum, exaltationemq; cum accessu aliorum beneficiorum per totam hanc Mundi partem successuram, prout indicare videntur aliæ causæ vniuersales, præsertim Magna Iouis, & Saturni coniunctio in Trigono igneo.

Quibus autem in locis huius Cometæ effectus sint coniecturaliter euenturi, meo quidem iudicio asserendum existimo, eos plurimum exarsuros in parte hac nostra Septemtrionali, quoniam illius Barbæ, & Caudæ inclinatio (ex qua tum ex Arabum, tum etiam Ptolemæi positionibus Regiones afficiendæ designantur) partem totam Borealem progressa est, sicut & Cometa

ta

ta ipse sex signa Borealia motu proprio peragrauit ab ortu ad Occasum cōtra signorum successionem. Verūm singillatim, vt possibilis, si attendatur doctrina *Ptolemæi lib. 2. quadrip. cap. 3. & 4. & signanter cap. 8.* vbi aliqua de Cometis innuit, qui Mundi Regiones effectibus Cometarum, & Eclipsium subijciendas ex signo, sub quo primum Cometa exarserit, indicit: cumque Cometa prædictus sub signo Libræ natalia sortitus sit, signūque Libræ dominari perhibeatur, iuxta statuta ab eodem *Ptolemæi cit. 2. quadrip.* & à *Ioanne Schonnero*, inter alios, hac in re exercitatissimo, Bactriana, Caspia, Thebaida, Ethiopiz, Austria, Tuscia, Sabaudia, Liunia, & Delphinatui ex Prouincijs; ex urbibus verò, pluribus Regionibus Italia, alijsque Austria, sicut & Lisbonæ in Lusitania, his Regionibus præ cæteris timendum erit, nè mala prædicta cōtingant: quod si ex eiusdem *Ptolemæi* sententia ad Trigoni, ratione familiaritatis, Regiones, id extédatur, etiam Hircania, Armenia, Ægyptus, Anglia, Sardinia,

Bra-

Brabantia, Regio Vuitembergensis, Flandria, Longobardia, ratione signi Geminorum; & Arabia petrea, Sarmatia, Tartaria, Dania, Brussia fubea, Sueciæ pars Meridionalis, Pedemontana Regio, Bauaria, & Monsferatus ratione signi Aquarij, suas patientur calamitates, rerumque vicissitudines, ac mutationes, licet pro eorundem locorum varietate, & distantia à positu, & situatione Cometæ, differenter euenient; ducta tamen consideratione ex coniecturis, quæ simili in re locum habent, quemadmodum ex alijs obseruationibus est compertum, afficit nimirum tales Regiones ex praua affectione signorum, quæ Ascendentia in extructione horum locorum adfuerunt, vt passim apud Auctores magni nominis scriptam reperitur. Illud autem hac in re probabilius existimo eas Regiones, & loca significatis huiuscè Cometæ magis substrari, quæ illum verticalem obtinuerunt, quorum profectò, attentis solum principio, & fine mansionis Cometæ, vtpotè cum aliqua mora, erunt partes Australiores Africa,

ca,

æ, & Americæ, quibus in locis imminere primò visus est, tum deindè loca, vel sub, vel propè Æquatorè ex parte Boreali; vt in Mappis, & chartis Geographicis est videre, absquè eo, quòd hic frustrà describamus. Inter has autem Mundi partes seuiora mala secundæ, minora primæ, & fortassis bona fortientur, quandoquidem initio naturam Iouiam retinuit, in fine verò Saturninam.

Quapropter generalè coniecturam elicere ex hoc mihi visum est, quod ex Mundi parte Meridionali, in Hemispherium Boreale, damna, ærumnæque transfiliant, eoquè magis, quia vt superius innuebamus, huiuscè Cometæ Barba, & Cauda Hemispherium Boreale ex integro circumuolutando designauit, quasi quod indice, vbi mala, & calamitates sedem adipiscentur, Cometa demonstraret, non minimam autem partem in locis hiscèuentuum prænotandis appendicum Cometarū inclinationem obtinere ex *Ptolem. testimonio cap. 8. lib. 2. quadrip.* paulò supra retulimus.

Hinc



Hinc recolligere quisque valebit, partem Mundi Aquilo Africam in occasu Solstitiali collocatam maximè subiectā fore infortunijs huiuscè Cometæ, quippeque illius Barba, cum primò visus est, per plures dies ad talem Mundi plagam exporrecta declivis adfuit, pertingens sua longitudine Cœli positum sub signo Virginis, & Leonis, quare eadem de causa potior pars Italiæ damna persentiet. Adde quod in fine quietem, & mansionem obtinuit Cometa in gradibus vltimis Arietis, initioque Tauri, quorum Secundum familiaritatem, causa Trigoni terrei, cum Virgine retinet, dominaturque ex parte nostris hiscè Regionibus. Primum verò principalioribus Italiæ Urbibus dominatur, & ratione Trigoni ignei Italiæ ipsi, & Europe præesse statuitur, quæ signa Cometæ cauda sua corporatura in longitudine circuli Æquatoris pariter possedit.

Quæ autem damna generaliter plurimis Terræ Regionibus minitantur, non minora particularibus etiam personis (præcisa generali constitutione)

por-

portenduntur, ijs nimirum præ cæteris, qui in Horoscopo suarum geniturarum, prædicta signa Libræ, & Trigoni aerei, atque Tauri, aliorumque Trigonom terreum componentium, obtinuerint, sicut & aliquantulum signa de quadrato, aut opposito respicientia Libram, & Taurum, nam eum ex apparitione talis Cometæ afficiantur plurimum talia signa, sequitur ut talem affectionem sigillatim etiam communent omnibus indiuiduis, his signis pro ascendente suarum geniturarum potitis, ut enim ~~Regiones afficiuntur~~ his infortunijs, quia in illarum erectione, seu extructione hæc signa fuerunt illis Ascendentia, ita pariter particularia indiuidua, ut fuse scribit *Ptolem. cap. 2. quadrip.* Loquens de causis generalibus Eclipsium collæduntur. Eodem pacto, qui obtinuerunt illa in Cœli medio, damna experientur in honoribus, opibus, & imperiis, sicut pariter in alijs rebus, discurrendo de alijs domibus Cœlestibus. Hinc Principes, & Monarchæ illi, qui suis ingentibus vnum ex signis istis, aut in

Cœli

Cœli medio, aut in Ascendente habuerunt, læsiones plurimas patientur in suis subditis imperijs, facultatibus, honoribus, & vita. Subijcientur item Cometicis his effectibus ij, quorum Genesim, aut concordauerit, aut familiaritatem obtinuerit cum positu Cœli tempore apparfi Cometæ; quod quidem rædum intelligendū in figuris Genethliacis radicalibus, sed etiam reuolutionalibus, sicut & causa transituum Planetarum, præsertim Apheticorum per loca prædicta Cometæ maleficio affecta, facta tamen diuersa collatione in omnibus, vt periti est Mathematici.

Tempus tandem inceptionis, & durationis horum effectuum Cometicorum, colligit Ptolem. cit. 2. quadrip. c. 8. ex habitudine, posituque eorundem ad Solem, & accensionis duratione; si quidem cum tales accésiones de mane, nempe antè Solis ortum apparuerint, infra breue tempus effectus inchoandos prædemonstrant; sicut cum diu accensæ flagrant in lōgum tempus protracturos illos designant, eadem

dem fermè doctrina, quam ipse capitibus antè actis præallegarat. Cùmque Cometa prædictus prima sui apparitione matutinus, & in quadrante Cœli orientali visus sit, celeres effectus, breuique inchoandos portendere videtur, proindèque infrà paucos menses huius anni 1665. Vires verò assumet validiores sequenti anno 1666. quo tempore effectus magnæ coniunctionis Iouis, & Saturni peractæ in signo Sagittarij, & Trigono igneo incipient releuari, vndè concurrente alia causa validiori, periculum erit, ne leuiora mala tunc temporis Cometa sit patraturus, præsertim cum ipse horum Planetarum naturam redoleuerit, à quibus nil dubium, quod vires Cometæ effectus reassument, & conualidabuntur. Ex hoc iam innotescit tempus durationis effectuum istius Cometæ, quod ad tres ferè annos, & fortassis ultra ( statuta namque durationis cognitio congruæ innixa rationi prorsus stabiliri nequit, quamuis aliqui multa commententur ) extendetur, modo nupèr enarrato, quoniam Cometæ perdura-

D

tio

tio diuturna fuit, & ad mēses tres fermè protracta, præsertim, si quibusdam præstanda fides est, qui multò antea Cometam prædictum se Gallipoli observatos perhibent; Quos postmodum effectus consequentur ij, qui ex conjunctione prædicta causabuntur, de quibus in præsentiarum nil ad nos, cum tantummodò fuerit in animo de huiusmodi Cometa sermonem habere. Cætera, quæ à me omissa esse videntur, suppleant insigniores huius scientiæ Professores, mea namquè interfuit superficialia quædam adnotare intra limites naturales, peritioribus verò penitiora rimari, ac contexere licebit; malui enim lacōica oratione plurima, alioqui vana, & inutilia subterfugere, ac silentio præterire, quàm longiori sermone figmenta publicè deridenda, aut corrigēda propalare. Et hæc breviter de quatuor causis naturalibus in productione huius phœnomeni concurrentibus, quas ex proprio Marte philosophatus, Sapientum iudicio palàm expono, ijsque submitto. Modo pro coronide:

Va-

Varia quæſita, eorumque ſolutiones circà huius Cometæ Barbam, Caudam, Motum, Lumen, Colorē, Magnitudinem, Diſtantiam à globo terraqueo, & reliqua illius accidentia.

**P**oſtremo hoc tandem loco placuit quædam dubiola ex præ-narratis oriunda in medium afferre, ac examinare, quæ non minùs ſcitu curioſa erunt, quàm auditu per-iucunda, vt nimirum vtrique conſulamur hominum genio, fatagenti, & ſpeculanti, ac inſuper nè mutilus tandèm hic diſcurſus deſineret. (dum agimus de naturæ portentis) in mon-ſtruofitatem.

QVÆRITVR ergò primò, quid fuerit huius Cometæ Barba, & Cauda, atque vndè initio Barba, tãdem Cauda illi aduentata eſt?

D 2

Re-

Respondet huic quæsito *Gabæus* (missis alijs responsionibus) *lib. I. Meteorolog. tex. 37. q. 7.* Cometarum Caudam, vel Barbam esse lumen Solis traiectum per corpus Cometæ, indequè diffusum in partem Soli oppositam, causans tractum illū post corpus Cometæ luminosum; corpus namquè Cometæ, quamuis opacum aspectu videatur, non est tamen adeò tale, vt solare lumen sistat, & vltra progredi non permittat, præsertim cum ex nostra sententia, Cometæ adhuc celestes, ex halitibus è terraqueo globo eleuatis originètur, qui attenuati, depurati, ac aliquali diaphaneitate donati, de facili talem traiectionem solarium radiorum exhibere valent, coadiuuante pariter ipsorum densitate, compactioneque, vi cuius lumen cometicum aliqualiter refrangitur, vndè corroboratum ex tali refractione, absq; vlla difficultate potens est medium post Cometam sequens reddere luminosum, cõcurrentibus adhuc fortassè, vt innuit *Argolus* post Cometam exhalationibus, quæ medium magis dispo-

dispositum ad lumen recipiendum præbere possint, quamuis id necessarium non putem. Exemplificatur hoc opticè in phiala aqua plena, Solique exposita, in qua obseruatur phialam ipsam primò illustrari à lumine solari illi contrapposito, adeò vt vndequaquè splendeat, radiosque eiaculetur; mox post ipsam in parte aeris Soli contrapposita sensibiliores radij conspiciuntur, luciditatem, atque splendorem præferentes, per corpus phialæ trajecti ad modum Barbæ, seu Caudæ, atquè eo manifestius talis trajectio radiorum post phialam apparebit, quo liquor in phiala contentus densitatem, ac crassitiem maiorè retinuerit, vi cuius refractionem intensiorè pepererit, luminisque roborationem.

Hinc soluitur alia dubitatio, quæ ex obseruationibus habitis non leuis orta est, qua nimirum de causa Cometa prædictus initio suæ apparitionis Barbatus apparuit, mox absque Barba, tandem Caudatus factus est; cùm (inquam) in tempore intermedio appendicibus caruerit. Soluitur & fa-



cillimè, quia scilicet in tempore inter-  
 medio Cometa ad Solis oppositum  
 progressus est, quapropter illius appē-  
 dix, radiorumque protensio in partē  
 Cœli eleuatorem vertebatur nobis  
 inconspicua, ad eum sanè modum,  
 quo umbræ Lunæ contingit cum Soli  
 opposita est. Confirmatur hoc ex ijs-  
 dem obseruationibus, nam Barba ta-  
 lis Cometæ primò ad Occidentē ver-  
 sa fuit, postmodum successiuè iuxtà il-  
 lius motum cōtrà ordinem signorum,  
 porrecta est ad Mundi plagam mediā  
 inter Occidentem, & Septentrionem,  
 quo tempore decurtari visā est, dein-  
 dè circa Solis oppositum ita minuta  
 fuit, vt tandem ea omninò destitutus  
 apparuerit: Cumque ad Zodiaci qua-  
 drantem à Sole dextrum motus fue-  
 rit, & post Solis occasum oriretur quia  
 radiorum proiectio in partem Solis  
 oppositā verti debebat, atque aliundè  
 ob propinquitatem ad Solem non in  
 altum eleuata, sed ad latus porrige-  
 batur, idcirco Caudatus euasit (Barba  
 enim, & Cauda Cometarum nonnisi  
 relatè ad Solem tales appellantur, vt  
 cum

cum Solem anteit, Barba, cum autem illum sequitur, Cauda nominetur) tandemque variationem fortitus est, non sine multorum admiratione, atque opinatu putantium ex illa Barbæ in Caudam mutatione binos Cometas eos extitisse, & alterum illum ab sine appendice Caudæ, vel Barbæ.

QVÆRITVR secundo. Vadè huius Cometæ motus tam irregularis, ut in principio, vel immobilis omninò, vel saltem sensibilibiter, postmodum velocissimè mobilis, & contra signorum successionem, ~~ad septentrionem~~ ~~circiter~~ octo circiter diebus, sex signis borealibus sit devolutus, a Libra nêpè ad Arietem per Cancrum, variata etiam latitudine, tandem iterum stabilis factus est, quoad Eclipticæ longitudinem, licet quoad illius latitudinem aliquantuliter sit etiam agitato, & ad partem Borealem ab Equatore sit peruentus, admiranda fanè, ac portentosa agitatione.

Huic fanè quæsito, quod difficillimum alioqui est, aliter responderi non posse diiudico, quam causam talis ir-

regularitatis motus refundendo ad huiusce Cometæ naturam, quæ motum vagum in illo designare videtur, prout etiam illius causa materialis exigit, qui quidem vagabundus, & Anomalus motus solet esse Cometis familiaris, vt expressè testatur *Seneca lib. 7. natural. q. cap. 25.* Ni tamen velis dicere cum *Rothmanno in tract. de Cometis, Tychone,* & alijs, talem motum Cometis inesse, quia variò ad nutum Diuinæ Prouidentiae ab Intelligentijs illi ducuntur, prout libet: nam equidem Cometa prædictus, cum Barbatus existeret quietus permansit, deperdita Barba velox motu factus est, iterum adempta Cauda quieuit: cuius rei præcisam causam, atque intrinsecam rationem indagare ita per arduum existimo, vt tantum cognitum patem Diuinæ Sapientiae, & Spiritibus, aut cui Altissimus voluerit reuelare: sat erit proinde nobis, naturali cognitione, finitoque lumine asserere, totum id depèdere ex vago, anomaloque motu Naturæ, & materiæ Cometicæ.

**QVÆRITVR** tertio curiosius  
num

nùm aliàs Cometā extiterit, qui huiusmodi motus anomalam, siue irregularitatem contrā signorum successionem obtinuerit, vt hic? cuius motus ferè admirandus cõmuni ter recensetur.

Respondetur, ex tot Cometis, qui ex anno ante Christum natum, ad annum post ipsius ortum 1664. in tota Europa spectati, & historijs relati, atque ab Auctoribus fide dignis recollecti, centum quinquaginta septem numerantur, alium solùmmodò extitisse sub anno Domini 1472. de mense Ianuarij (adfuit enim eodem tempore alter in mense Martij Iaculi formam habens,) qui huic valdè similis, & sub signo Libræ primò fuit obseruatus, & motum obtinuit anomalum, illumque contrā signorum successionem, de quo scripsit *Angelus Cato loco supra citato*, ac diligentissimè illum obseruauit *Ioãnes Regiomont.* relatus à *Ricciolo in Almag. p. 2. tom. 1. pag. 8.* cuius verba de eo hæc afferuntur. *Idibus Ianuarij anno Domini 1472. (estò aliqui sed falsò legant 75.) visus est nobis Cometa sub Libræ cū*

*Stella Virginis, cuius caput tardi erat motus, donec propinquum esset Spicæ; hinc incedebat per crura Bootis versus eius sinistram, à qua discedendo die vno naturali portionem circuli magni grad. 40. descripsit, vbi cum esset in medio Cancri, maximè distabat ab Orbe signorum grad. 67. & tunc inter duos Polos Zodiaci, & Æquinoctialis ibat vsque ad intermedia pedum Cephei, deindè per pedus Cassiopeæ super Andromedæ ventrem: post gradiendo per longitudinem Piscis septemtrionalis, vbi valdè remittebatur motus eius, propinquabat Zodiaco, transiens ipsum iuxta medium Arietis, donec cum stellis Ceti occasus heliacus illum nobis occultauit vltimis diebus Februarij. Hoc motu suo proprio circuli magni portionem descripsit, quo in septemtrionè contra signorum successionem ferebatur à Libra in Arietè, in fine, & principio tardè mouebatur, in medio, velocissimè vno die per quatuor signa, à fine Virginis in principium vsque Geminorum. Hæc Regionotanus. Ex quibus verbis clarè deducitur huius Cometæ motus irregularis, & contra signorum sequelam in parte tamen*

men Hemisphærij Borealis à Libra ad Arietem, quemadmodū Cometa huius anni . De hoc eodem mentionem facit Keplerus in Tychonis Hiperaspiste lib. 2. cap. 2. 17. & 18. & Cardanus super quadrip. Post cuius Cometæ apparitionem, triênalem siccitatem (præter alias calamitates) sequutam esse refert idem Ricciol. vbi supra ; quamvis eodem tēpore de mense Martio, vt nuper dictū, alius Cometa comparuerit ad formā iaculi, vt idem Auctor enarrat. Alterius autem Cometæ talem motum sortiti per integrum Zodiaci semicirculū, Auctor, quem legerim, nullus meminit, vt proindè meritò præ cæteris portentosior præfens Cometa nūcupari possit.

QVÆRITVR quarto . Quæ fuerit huius Cometæ distātia à globo terræ, eiusdemque magnitudo? Respōdetur indubitatum apud Astronomos, & Mathematicos esse, eosque omnes, qui Aristotelis opinioni tenacitatis non sunt addicti, eū supra Lunā, & in regione ætherea extitisse, prout obseruationes à diuersis, distitisque Mundi regionibus habitæ testātur, atque ex doctri-

na parallaxeos liquidò deducitur , vt  
 suprà probatum est . At cùm ætherea  
 regio Planetaria crassitiem habeat ta-  
 lem , vt ex Orbe , seù orbita Lunæ ad  
 orbem Saturni extendatur, idcirco du-  
 bitandi locus hìc datur, quo præcisè in  
 Orbe Planetarum constiterit , & nùm  
 etiam suprà, vel infrà Solem.

Circà quam dubitationem dicendū  
 opinor, ( vt ex meis, vt potui observa-  
 tionibus, triangulorumque ratiocinio  
 recollegi ) paulò suprà Solem adfuisse,  
 quandoquidem parallaxim minimam,  
 ferèque insensibilem passus est; atque  
 minorem ipso Sole . Ad quod confir-  
 mandum extant, pro eo tempore, quo  
 stabilis , aut insensibiliter mobilis ap-  
 paruit, inuariata distàtia à stellis fixis  
 propinquieribus , tùm Hydræ , tùm  
 Centauri, tàm in Oriente , quàm in  
 Meridie, ortus, Cœlique mediatio ea-  
 dem , vt plures alij Mathematicarum  
 peritissimi Professores, tùm in hac Vr-  
 be , tùm alibi, ore, & literis confirma-  
 runt .

Insùper, quod hìc Cometa suprà  
 Venerem extiterit , & consequenter,  
 vel

vel in Orbe Solis, vel paulò suprà, ratio  
 etiam ex opticis reddi potest, nam ip-  
 se tubo optico spectatus, maior non  
 cernebatur eo, ac nudis oculis specta-  
 batur, cum aliundè notum sit Venerè  
 Telescopio obseruatam magnitudine  
 maiorem apparere; signum profectò  
 eum suprà Venerem cominùs extitisse,  
 quandoquidem Venus, vt nobis pro-  
 prior, species sui intensiores ex radijs  
 visualibus emittit, secùs verò corpora  
 superiora, quæ vti distantiora species  
 remissiores, ac debiles magis ad no-  
 stros oculos transmittunt, vt ex opti-  
 cis manifestatur. Ex his ergò clarè est  
 colligere, quanta nimirum fuerit ip-  
 sius distantia à tellure, ea ferè quæ So-  
 li in apogeo, aut Marti tribuitur in pro-  
 prijs orbitis, quã singillatim hæc exa-  
 rare peruanù puto, & inutile, cum pa-  
 rum referat nostro instituto. Demùm  
 illius magnitudo, vt initio dicebamus,  
 fuit paulò maior Venerè apparenter,  
 quamuis ob distantiam maiorem, quã  
 retinuit à globo terraqueo Iouis moli  
 fuerit ferè æqualis initio, tractuque  
 temporis postmodum sensim decreue-  
 rit



rit, & ad fuscum colorem declinauerit, vt tandem euanesceret, paulatim scilicet succumbente, deficienteque materia illa fuliginum accensarum.

**QVÆRITVR** quinto. Qua de causa fulgidum lumen, argenteusque color, quem initio Cometa præsetulit, in fuscum tandem, cineritiumq; sit versus, ac in opacum, & nebulosum?

Respondetur id dupliciter accidere potuisse, tum ratione materiae, quæ initio accensionis, & illustrationis sæper luminis, & coloris viuacitatem secum affert, temporis verò progressu cum in totum inflammata est, & comburi incipit, colorem, lumenque variat, pallescit, & successiuè deobscuratur, prout experimur in alijs rebus terreis flammescentibus, & combustis. Quodq; comprobatur opticè ex iisdem obseruationibus, nam primò Cometa viuudum lumen, argenteum indeque colorem exhibuit, mox minus lucidum, proindèque cineritium, successu temporis subfuscum, & tandem ita plumbeum, ac nigricantem acquisiuit, præsertim ex die 20, Ianuarij,

rij, ad diem vsque quintum mēsis Februarij, vt voraginis potius similitudinem referret, absque sensibili sui manifestatione, radiorumque proiectu (Borealiori tamen adepta declinatione) verum cum tanta nigritie, ac fuscitudine, vt non nisi acutissima visus acie præditis manifestaretur, nec tamen semper, aut vbique, vt propterea merito supra dixerimus, eum 26. Ianuarij ab obseruantium oculis euanuisse, cū ad sensum dein obseruari non potuerit. Tum etiam ratione Planetarum concurrentium influitiue, vel illustratiue in corpus Cometæ, vi quarum influentiarum, & radiorum, præsertim Saturni potentiùs agētis in productione talis Cometæ, communicata fuit qualitas corpori illius ad acquirendū lumen, & colorem temporis progressu fuscum, & nebulosum, quapropter licet initio geminata concurrerint Iouia, & Saturnina influentia ad lumen, coloremque Cometæ taliter lucidum causandum, tamen, quia qualitas, & virtus Saturnina supergressa est, diminuto lumine Iouiali, totaliter in Saturni-

turninū Cometa verſus eſt, prout etiā ſuperiūs innuebamus. An autem color huiuſcè Cometæ realis, an potiùs intentionalis, vt Scholaſtici appellant, extiterit, in præſentiarum diſceptandum non aſſumo, cum breuitati conſulere ab initio propoſuerim. Et hæc ſatis ad Dei laudem, & gloriam, Dei- paræque Virginis ſine labe Conceptę, D. Lucæ, reliquorumque Sanctorum, qui hæc infortunia à noſtro uertice remouere dignentur. Amen.

**F I N I S.**

**ELEN-**

# ELENCHVS

RERVM NOTABILIVM,

Quæ in hoc Opusculo conti-  
nentur.

## A

- A**er condensatur in hiatu, & Vora-  
gine, & quare? pag. 32.
- Actiuitas Planetarum in productione  
Comete.* pag. 87.
- Anaxagoras putabat Cometam esse Sym-  
physim stellarum.* pag. 9.
- Appendices Cometarum loca prest-  
gnant.* pag. 69.
- Aquarij signum, quibus Mundi partibus  
dominetur.* pag. 68.
- Ariditas, & sterilitas sub Agathone  
PP.* pag. 51.
- Astra Antiqui dicebant esse Deos.* pag. 8.
- Astrologi vtuntur coniecturis.* pag. 56.
- Astrologi diuersimodè distinguunt Come-  
tas.* pag. 58.
- Astrologi quid considerent in Come-  
tis.* pag. 57.
- Barba

- B** *Arba Cometa.* pag. 3. 75.  
*Barba longitudo varia.* pag. 6.  
*Barba Cometę ab occasu versa fuit ad ortum, & quare?* pag. 77.  
*Barba Cometae quando decrescere incipit?* pag. 4.  
*Beneuentum desolatũ à terra motu.* p. 52.  
*Bonifacius Papa VIII. ligneam domum habitauit, & cur?* pag. 52.

- C** *Aligines prodigiosa.* pag. 24.  
*Capua penè diruta à Terrę motu, & quando?* pag. 52.  
*Causa Cometae.* pag. 2. 75.  
*Caudę longitudo varia.* pag. 6.  
*Causa Materialis, & Formalis Comete.* pag. 7.  
*Causa Efficiens.* pag. 44.  
*Causa finalis.* pag. 50.  
*Causarum genera quatuor.* pag. 7.  
*Causę alię sunt intrinsecę, alię extrinsecę.* pag. 7.  
*Cælum Planetarium liquidum est, & peruium.* pag. 36.  
*Cæli solidi sunt, & imperuij ex Peripateticis.* pag. 11.  
*Cæli partes non habent potentiam locomoti-*

- motiuam, nec sunt animata.* pag. 32.  
*Cæli sunt incorruptibiles, & ingenera-*  
*biles.* pag. 15.  
*Cælis aliqui attribuunt generationem, ac*  
*corruptionem.* pag. 23.  
*Cælum nec leuitatem, nec grauitatem ha-*  
*bet.* pag. 22.  
*Colores varij Cometa.* pag. 2.  
*Cometa cuius naturæ fuerit?* pag. 58.  
*Cometa primò retinuit Iouiam lucidita-*  
*tem.* pag. 51.  
*Cometa euasit de natura Saturni.* p. 62.  
*Cometa initio Matutinus fuit.* pag. 73.  
*Cometae magnitudo quæ?* pag. 85.  
*Cometa principio immobilis fuit motu*  
*proprio.* pag. 3.  
*Cometa cur aliquandò caruit appendici-*  
*bus.* pag. 77.  
*Cometa circa caput, & Cæti mandibulã*  
*persistit.* pag. 5.  
*Cometa telescopia obseruatus non auge-*  
*batur.* pag. 85.  
*Cometa fuit sub dispositione Satur-*  
*ni.* pag. 61.  
*Cometa quid portendat de natura Io-*  
*uis.* pag. 61.  
*Cometae fuscedo ad voraginis similitudi-*  
*nem, & quo tempore.* pag. 87.  
 Cometa

- Cometa cauda aliquando tam decurtata,  
& obscura fuit, vt videri non pos-  
set. pag.5.
- Cometa ex Barbato caudatus euasit. p.77
- Cometa quibus in locis fuerit vertica-  
lis. pag.6.
- Cometam supralunarem fuisse probat  
Auctor. pag.12.
- Cometa sex signa borealia motu proprio  
paragrauit cōtra ordinē signorū. p.67.
- Cometa vbi quieuit? pag.70.
- Cometa quibus Mundi partibus primò  
iraminuit. pag.68.69.
- Cometa quando euauit ab obseruantium  
oculis. pag.6.
- Cometa parit effectum Planeta coloran-  
tis, & cur? pag.60.
- Cometa anni 1618. simul cum trabe. p.25.
- Cometa assumitur in signum Irae, & vin-  
dictae. pag.50.
- Cometa semper praesignat malum. p.51.
- Cometa, quae apparuit Hierosolymis fuit  
sublunaris. pag.39.
- Cometae apparentes in Libra terremotū  
praesignant. pag.63.
- Cometae ex quibus generentur. p.9.23.58.
- Cometae apparuerunt aliquando sub Luna  
maiores Venere, & quandoq; luminari-  
bus

- bus æquales.* pag. 41. 42.
- Cometæ enumerantur inter Meteorologicas impressiones.* pag. 10.
- Cometæ statuuntur in orbibus Planetarijs*  
*Sed contrà.* pag. 28.
- Cometæ, vel sunt cælestes, vel sublunares.* pag. 39.
- Cometas aliqui putant omnes esse sublunares.* pag. 9.
- Cometas alij tenent omnes esse cælestes.* pag. 10.
- Cometæ sublunares ubi accendantur, ac permaneant.* pag. 10.
- Cometæ durant durantibus exhalationibus.* pag. 10.
- Cometas plurimos supra Lunã fuisse ostēditur.* pag. 10. 11.
- Cometas aliqui asserunt esse aggregationem plurimum stellarum præsertim viæ lacteæ.* pag. 15.
- Cometarum differētię ex coloribus.* p. 58.
- Cometarum effectũ certam cognitionem a priori haberi nequit.* pag. 55.
- Comites Saturni, & satellites Iouis sunt in orbibus planetarijs.* pag. 21.
- Conimbricenses, & Clau. Deum Cometarũ causam effectiuam adstruunt.* p. 48.
- Constātinus Imperator quo tempore obie-*  
*rit*



- rit. pag. 53.  
 Corpora sublunaria afficiuntur ex influen-  
 tijs stellarum errantium. pag. 19.  
 Corpus humanum, quævis cõtinuò exha-  
 let, non minuitur. pag. 41.

D

- D**amna plurima ex Cometa. p. 63. 64.  
 Democritus ait Cometam esse sym-  
 physim Stellarum. pag. 9.  
 Deus signat damna ante flagellum. p. 49.  
 Deus utitur Cometis ad præsignandum  
 aliquid mali. pag. 49.  
 Dispositio intrinseca cuiusque subiecti il-  
 lud destruere nequit. pag. 26.  
 Distãtia Cometæ à globo terraqueo, p. 83.

E

- E**ffectus præcipui Cometæ singillatim  
 recensentur. pag. 61. & seqq.  
 Effectus Cometæ Saturnini. pag. 59.  
 Error aliquorum de multiplicitate Come-  
 tæ. pag. 79.  
 Error Manichæorum. pag. 8.  
 Europa substratur esse Fibus Cometæ. p. 70.  
 Exemplum de phiala adducitur. pag. 77.  
 Exhalationes terræ mobiles, & fuga-  
 ces. pag. 39.  
 Exhalationes terræ quæ vi elementarem  
 regionem transcendant. pag. 36.  
 Exha-

*Exhalatione terreæ quousq; ascendere possint.* pag. 38.

*Exhalationum copia, an possit esse maior globo terraqueo?* pag. 41.

*Exhalatione terreæ modò accenduntur, modò illustrantur.* pag. 36. 38.

*Exhalatione terrestres Cometam formantes cuius sint conditionis?* pag. 40.

*Ex qua Mundi parte mala minitetur.* p. 69.

### F

**F** *Acule solares, quæ nam sint.* pag. 37.

*Figura Cometæ.* pag. 2.

*Forma Cometæ.* pag. 43.

*Fuligines perrenniter transcendunt ætheream regionem.* pag. 37.

### G

**G** *Eminorum signum quibus locis præsit.* pag. 67.

*Genera qualitatum duo.* pag. 34.

*Globus terraqueus cõtinuò minuitur.* p. 27

*Globus terraqueus nouam semper recipit materiam.* pag. 41.

*Gottofredus quando Hierosolymam recuperarit?* pag. 53.

### H

**H** *Emisphærium Boreale experietur damna Cometæ.* pag. 69.

*Hærici bellum cum Arduino.* pag. 53.

*Haræ-*

*Hæresis Fraticellorum quo tempore?* p. 54  
*Historiæ variæ scitu dignæ.* p. 51. & seqq  
*Historia cuiusdam Cometæ portetosi nar-*  
*ratur.* pag. 81

I

**I**gnis in propria sphaera putrescere ne-  
quit. pag. 21

*Impressiones ignitæ vndè formentur?* p. 38

*Inclinationem, quam habet totum, reti-*  
*nent partes.* pag. 22

*Individua iuxta variam Cometæ situatio-*  
*nem respectivè offenduntur.* p. 71. 72

*Iouiales detrimenta patientur ex Come-*  
*ta, & quare?* pag. 62

*Iris fuit signum serenitatis Noè.* pag. 50

*Italiae potior pars sentiet damna Come-*  
*tæ.* pag. 70.

*Iuppiter, & Saturnus coeffectivæ causa*  
*Cometæ fuerunt.* pag. 45.

K

**K**eplerus inuehitur contra quemdan  
Astrologum. pag. 46.

*Keplerus non aduersatur Auctori.* p. 46.

*Keplerus quid senserit de iudicijs Come-*  
*tarum.* pag. 56.

L

**L**ibra signum, quibus locis præsit. p. 67.

*Loci variatio Cometæ.* p. 65.

Lumen

- Diametrum contrarium non habet.* pag. 34.  
*Lumen refractum magis roboratur.* p. 76.  
*Luminis, & coloris variatio in Cometa,*  
*& cur?* pag. 86.  
*Luitprandus Rex Longobardorum, quan-*  
*do Romam obsedit.* pag. 54.

M

- M** *acula visa in disco solari.* pag. 24.  
*Maculae solares quoniam sint.* p. 37.  
*Maculae solares varicolores.* pag. 28.  
*Maculae quandoq; ante Solem non extite-*  
*runt.* p. 25. *& quare?* pag. 37.  
*Maculae solares differunt specie à parti-*  
*bus Solis.* pag. 29.  
*Magnae planetarum coniunctiones quomo-*  
*dò sint causa Cometarum.* pag. 45.  
*Magna Iouis, & Saturni coniunctio in*  
*Trigono igneo Ecclesiae incrementum*  
*praesignat.* pag. 66.  
*Magnitudo Cometae.* pag. 2.  
*Mahumettus quando suas leges promulga-*  
*uit.* pag. 54.  
*Mare tractu temporis distasse à littore per-*  
*hibetur.* pag. 28.  
*Mars dicitur causa praecipua Cometa-*  
*rum.* pag. 47. 48.  
*Morbi sanguinei ad malum conuertentur.* pag. 62.

E

Morbi

- Morbi noui ex Cometa.* pag. 64. 65.  
*Motus Comete fuit velociffimus.* pag. 4.  
*Motus Comete, eiusque locorum varia-*  
*tio.* pag. 65.  
*Motu locali proprio quando Cometa ca-*  
*ruerit.* pag. 5.  
*Mundi pars Meridionalis erit immunis a*  
*dansis Cometa.* pag. 69.

N

- N**atura non operatur violentum nisi  
*coacte.* pag. 39.  
*Natura Comete motum vagum prae-*  
*fert* pag. 80.  
*Neap. olim maris littus vbi fuerit.* p. 28.  
*Nicephorus testatur vidisse Cometam, &*  
*quomodo.* pag. 16.  
*Numerus Cometarum in Europa specta-*  
*torum.* pag. 81.

O

- O**bietum distantia mensuratur. p. 42.  
*Observatio Cysani.* pag. 15.  
*Observatio Regiomontani, & Riccioli de*  
*quodam prodigioso Cometa.* pag. 82.  
*Opinio Cysani, Reste, & Liceti reproba-*  
*tur.* pag. 17.  
*Opinio Cardani, Fracastorij, Blangani,*  
*Gema, & aliorum rejicitur. p. 19. & seq.*  
*Opinio Fromondi, Kepleri, Camerarij,*  
*Glo-*

- Gloriosi, & Clauij cōfutatur. p. 24. seq.*  
*Opinio Tychonis, Baranzani, Gloriosi, &*  
*Argoli impugnatur. pag. 30. 31.*  
*Opinio Peripateticorum refellitur. p. 11.*  
*Opinio Auctoris de Cometae productio-*  
*ne. pag. 35. 36.*  
*Opinio Rothmanni, & Tychonis de motu*  
*Cometae. pag. 80.*

**P**

- Pars Mundi Aquilo Africa subijcietur*  
*effectibus Cometae. pag. 70.*  
*Peripatetici asserunt omnes Cometas esse*  
*sublunares. pag. 9.*  
*Pythagorici Cometas censebant esse stel-*  
*las errantes. pag. 9.*  
*Planetae sunt causae equiuocae non uni-*  
*uocae. pag. 48.*  
*Planetae sunt causa efficiens Cometae, &*  
*quomodo? pag. 44. 47.*  
*Pluuia damnosa ex Cometa, & quan-*  
*do? pag. 65.*  
*Protestatio Auctoris, pag. 57.*

**Q**

- Qualitates Saturni cuius sint condi-*  
*tionis. pag. 59.*  
*Qualitas Saturnina est infensissima hu-*  
*mano generi. pag. 64.*  
*Quae partes Mūdi Cometae effectibus su-*  
*bijcian-*

subiciantur. pag. 66. 67.  
Quot miliaria sint à superficie Terræ ad  
ultimam aeris regionem. pag. 13.

R

Regiones variae subiciantur effectibus  
Cometae, & quare? pag. 68. 71.  
Religio Cisterciensis quo tempore florue-  
rit. pag. 54.  
Rerum mutationes ex Cometa. pag. 65.

S

Saraceni quando Hispania partem oc-  
cuparunt. pag. 54.  
Semidiameter Terræ, quot miliariorum  
sit. pag. 13.  
Seneca opinatum de Cometa. pag. 9.  
Septentrionalis regio experietur damna  
Cometae, & cur? pag. 66.  
Sicilia Civitates desolate à Terremoto.  
tu. pag. 51.  
Signum ubi apparuit Cometa. pag. 2. 61.  
Signum ubi apparet Cometa indicat loca  
suis effectibus subicienda. pag. 67.  
Signum æquinoctiale Libræ religiosum  
statuitur. pag. 63.  
Situs Cometae supra Lunam, qui fue-  
rit? pag. 84.  
Sol igneus est. pag. 29.  
Sol quandoq; sanguineus apparuit. p. 24  
Sole

- Sole nullum agens potentius, & calidius.* pag. 26.
- Solis minima particula est lucidior qualibet stella fixa lucidissima.* pag. 28.
- Solis lumine formatur Barba, vel Cauda Cometae.* pag. 76.
- Stella noua visa in anno 1572. memoratur.* pag. 56.
- Stella partes sunt Cælorum.* pag. 22.
- Stellæ decremēta non patiuntur.* pag. 27.
- Stellæ visæ quandoque fuerunt in meridie.* pag. 24.
- Stellarum fixarum motus.* pag. 3.
- Sublunaria diuersimodè afficiuntur à syderibus.* pag. 59.

**T**

- T***Empus apparſi Cometae.* pag. 1.
- Tempus durationis Cometae,* p. 37.
- Tēpus inceptiōnis effectūū Cometae.* p. 72.
- Tellus non dissoluitur in formatione Cometae.* pag. 43.
- Terra eiusq; partes naturaliter rapiuntur ad centrum Mundi.* pag. 22.
- Terræmotus varij recensentur.* pag. 52.
- Terræmotus præsignantur ex Cometa, & quare?* pag. 63.
- Tyberis inundatio.* pag. 52.
- Tycho quid senserit de Cometarum præſagijs*



V

**V**acuum non est admittendū. p. 32.  
 Vapor, & exhalatio specie nō dif-  
 ferunt à ære, vnde exhalant. pag. 29.  
 Variæ calamitates exortæ post Come-  
 tas. pag. 51. & seqq.  
 Venus tubo optico spectata auge scit. p. 85.  
 Vires Cometæ quando vigeant. pag. 73.

X

**X**iphias dictus fuit Cometa, qui Hiero-  
 solymis imminuit, & Iudaicum bel-  
 lum præsignavit. pag. 40.

F I N I S.









551

BIBLIOTECA